DE
USU SUBIUNCTIVI RELATIVI ET ABSOLUTI

APUD

TACITUM IN CONCIONIBUS OBLIQUIS.

SCRIPSIT

Dr. FERD. HUETTEMANN.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXIV.

VIRO
REVERENDISSIMO

IOSEPHO HOEVEL


PAROCHO
IN
SCHOENHOLTHAUSEN

PRIMO SUO LITTERARUM HUMANARUM
PRAECEPTORI

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

SCRIPTOR.



I.

Quum res ut verae vel factae indicativo modo exponuntur, non sufficiunt tempora simpliciter praesens et simpliciter perfectum, quibus aliquid absolute et per se aut esse aut fuisse, aut fieri aut factum esse enuntiatur. Immo, ut non solum nuda res, sed simul expositionis series ac coniunctio appareat, aliae temporum formae necessariae sunt, quibus exprimatur relatio, quae tempus quod attinet intercedit inter res exponendas, quarum, ubi cadunt in tempus praeteritum, una tamen simul aut praesens et durans aut praeterita esse potest, quod pertinet ad alteram. Illud vero significatur temporis forma, quam vocant imperfectum, hoc plusquamperfecto; quas duas praeteriti temporis quasi species secundarias apte Madvigius (lat. Sprachl. §. 333) alteram praesens in praeterito, alteram praeteritum in praeterito dicit. — Sed quum res exponuntur subiunctivo modo non ut per se verae vel factae, sed ita, ut exsistant tantum in mente ac cogitatione subiecti alicuius, simili ratione atque inter tempora rerum ipsarum alia relatio intercedit inter rem ipsam cogitatam ac tempus cogitationis. Haec quoque relatio significatur ita, ut id, quod est praesens in praeterita subiecti alicuius cogitatione, exprimatur imperfecti, quod praeteritum plusquamperfecti coniunctivo. Tempus vero cogitationis indicari solet antecedenti verbo aut sentiendi vel dicendi, ubi enuntiatur cogitatum solum et nudum, aut agendi, ubi cum actione cogitationem rei cuiusdam iungit subiectum. — Ita explicanda atque intelligenda est regula, quam de temporum consecutione statuere solent ad hunc modum: Post tempus praesens (item post utrumque futurum) sequuntur coniunctivi praesentis et perfecti, post tempora praeterita

coniunctivi imperfecti et plusquamperfecti. Iam quum hi ab illis nisi explicata illa relatione, quae in iis apparet, non differant, ita utrique distingui possunt, ut hi subiunctivi relativi, illi absoluti nominentur. Sed regula illa eo sensu, quo ex antecedentibus intelligitur, comprehendit eas tantum sententias subiunctivo modo expressas, quae subiective, non vero, quae obiective pendent alicunde. (De utrarumque discrimine cf. Friedr. Haase ad Reisigii librum: ,Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft' adnn. 386, 478, 479, 498). Sententiae, quae obiective pendent alicunde et quia, quum prorsus sint ab illis diversae, a fine mihi proposito sunt alienae, et quia tempus in iis magis definitur rebus ipsis, quas exprimunt per se veras, quam constanter illam de temporum consecutione regulam sequantur, hic iure omitti possunt. — Illae vero sententiae, in quas praeter sententias finales et interrogationes indirectas referendae sunt omnes sententiae secundariae illae, quae subiunctivo modo expressae sunt, quia pendent ex cogitatione eius, qui in sententia primaria, (sensum quidem quod attinet), est subiectum, ubi ab extranea regulae forma aberrant, interiori legis naturae ac rationi, qualis antecedentibus est explicata, documento sunt. — Sequuntur enim saepe post tempus verbi perfectum in sententia primaria subiunctivi absoluti in secundaria. Potest autem significari tempore verbi perfecto non modo actio praeterita, sed etiam status rei praesens, qui illa est effectus, quocum cogitatio iuncta cum actione praeterita simul durare potest. Eiusmodi exempla sunt haec: ,Etiamne ad subsellia cum ferro atque telis venistis (ergo adestis), ut hic me aut iuguletis aut condemnetis?' (Cic. Rosc. Am. 11.). Agitur hic de consilio, quod non tunc tantum, quum ad subsellia venerunt, iis fuerit, sed quod idem in praesenti quoque, quum ad subsellia stant, maneat.

Etiam, ubi sententia subiective pendet ex verbo temporis imperfecti, legitur subiunctivus absolutus: Tac. ann. I, 76: (Edendis gladiatoribus, quos Germanici fratris ac suo nomine

obtulerat, Drusus praesedit —). ‚Cur abstinuerit spectaculo ipse, varie trahebant.' Illud ‚cur abstinuerit spectaculo ipse' (scil. Tiberius) non est obiectum praeteritae tantum cogitationis eorum, qui hoc varie trahebant, sed simul ipse scriptor in praesenti de eo reputat, tanquam sit subaudiendum post illa verba ita: ‚— haud scio, tum varie trahebant.' Probatur haec explicandi ratio iis, quae mox sequuntur: ‚Non crediderim, ad ostentandam saevitiam movendasque populi offensiones concessam filio materiem, quamquam id quoque dictum est.'

Similis est ratio loci huius ann. I, 61: „— referebant — primum ubi vulnus Varo adactum, ubi infelici dextera et suo ictu mortem invenerit; — utque signis et aquilis per superbiam inluserint'. — Haud sine eleganti distinctione subiunctivi relativi et absoluti adhibiti sunt loco hoc Tac. ann. IV, 11: ‚Mihi tradendi arguendique rumoris causa fuit, ut claro sub exemplo falsas auditiones depellerem peteremque ab iis, quorum in manus cura nostri venerit, ne divulgata atque avide accepta veris neque in miraculum corruptis antehabeant.' Subiunctivis relativis significatur consilium cum praeterita actione iunctum; subiunctivis absolutis vero advertitur animus ad praesentem scriptoris cogitationem, scil. id, quod iam petit. Subaudiendum igitur quodammodo est post illud ‚ut — peterem' hoc ‚id, quod nunc peto.'

Sed sicut in exemplis allatis subiunctivi absoluti cum ipso sensu legis statutae bene conveniunt, ita nulla ratione explicari potest locus ille Tac. ann. III, 67: ‚Servos quoque Silani, ut tormentis interrogentur, actor publicus mancipio acceperat.' Consilium sententia finali expressum durabat quidem in statu, qui efficiebatur eo, quod actor publicus servos mancipio accepit et concedo, recte aliquem illo tempore dicere potuisse ita: ‚— accepit, ut — interrogentur.' Sed Tacitus certe statum illum ideoque etiam consilium illud ut praeteritum narrat, quum plusquamperfecto utatur. Praesens vero historicum, quo versetur

scriptoris animus in praeterito tempore tanquam sibi praesenti, omnino in toto capite nullum occurrit. Haud dubie igitur illud ‚interrogentur' est corruptela similis iis, quas infra complures videbimus, et genuinum est id, quod Lipsio praeeunte restituerunt plerique editores, ‚interrogarentur'.

II.

Iam si oratio obliqua vel indirecta, quae proprie vocatur, inservit enarrationi eorum, quae quis dixit, ita ut sententiae non genuina sua forma, qua subiectum eas verbis expressit, repetantur, sed earum tantum sensus referantur ex cogitatione subiecti, etiam haec e natura sua obstricta est lege de temporum consecutione statuta. Ubi igitur verbum regens antecedit praeteritum, in oratione obliqua soli subiunctivi relativi essent adhibendi. Verum haec relatio sententiarum ad praeteritam eius qui locutus est cogitationem saepissime negligitur ab historicis latinis in concionibus obliquis, quas narrationi rerum inserere solent. Exempla affero haec: Caes. bell. Gall. I, 44: (Ariovistus — praedicavit): ‚— stipendium se capere iure belli, quod victores victis imponere consuerint. — — si iterum experiri velint, iterum paratum sese decertare; si pace uti velint, iniquum esse de stipendio recusare, quod sua voluntate ad id tempus dependerint. — — Quid sibi vellet? — Ut ipsi non concedi oporteret, si in nostros fines impetum faceret, sic item nos esse iniquos, qui in suo iure se interpellaremus. — — Qui nisi decedat atque exercitum deducat, sese illum non pro amico, sed pro hoste habiturum: quod si eum interfecerit, multis sese nobilium — gratum esse facturum; id se ab ipsis per eorum nuntios compertum habere, quorum omnium gratiam atque amicitiam eius morte redimere posset. — —'

Liv. XXIII, 23 — ‚neque duos dictatores tempore uno, quod nunquam antea factum esset, probare se‘ dixit, —. Quae immoderata fors, tempus ac necessitas fecerint, iis modum impositurum. Nam neque senatu quemquam moturum ex iis, quos C. Flaminius, L. Aemilius censores in senatum legissent; transcribi tantum recitarique eos iussurum, ne penes unum hominem iudicium arbitriumque de fama ac moribus senatus fuerit: et ita in demortuorum locum sublecturum, ut ordó ordini, non homo homini praelatus videretur‘. — Sallust. Cat. 34 (— respondit): ‚Si quid ab senatu vellent, ab armis discedant, Romam supplices proficiscantur. Ea mansuetudine senatum populumque Romanum semper fuisse, ut nemo unquam ab eo frustra auxilium petiverit.‘ (— litteras mittit): ‚Se falsis criminibus circumventum, quoniam factioni inimicorum resistere nequiverit, fortunae cedere —: non quo sibi tanti sceleris conscius esset, sed uti respublica quieta foret; neve ex sua contentione seditio oriretur.‘ — Similia exempla, ubi subiunctivi absoluti et relativi nulla constantia mixti et confusi videntur, inveniuntur apud Caesarem b. G. I, 34; V, 27. 29; VII, 15. 20; apud Livium III, 39; V, 11; VIII, 31; IV, 41. 60; V, 36; VI, 17; apud Sallustium Iug. 33. 83. In aliis concionibus obliquis subiunctivi relativi initio adhibiti mox in absolutos transeunt: Caes. b. G. I, 14; Liv. VIII, 34.

Inconstantiam illam, quae in exemplis allatis apparet, grammatici variis rationibus explicare student. Alii, ut Reisigius (l. c. §. 328), Madvigius (l. c. §. 403), dicunt scriptorem vivide narrantem ex praeterito in praesens historicum transire, vel, ut Haasius l. c. adn. 500 dicit, tempus, quod fuerit in directa oratione praevalere. Alii, ut Ramshornius (lat. Gramm. §. 195, a, b et not.) et G. T. A. Krügerus (umgearb. Ausg. der lat. Schulgramm. von Grotefend §§. 654, 655, 656 et Anm.) partim eadem fere ratione, partim ex ipsarum sententiarum natura ac discrimine de subiunctivis absolutis et relativis in concionibus

obliquis iudicant. Etiam Haasius l. c. addit, nonnunquam haud sine eleganti discrimine modo absolutos modo relativos subiunctivos adhiberi.

Pfarrius (De concionibus obliquis historicorum Romanorum commentatio, Programm des Königl. Friedr. Wilh. Gymn. Köln 1836. p. 12 sqq.) certam temporis notionem demonstrans omnino repugnare naturae coniunctivi, qui nihil significet, nisi actionis ideam, coniunctivos imperfecti et plusquamperfecti eo tantum differri ait a coniunctivis praesentis et perfecti, ut illis actio idealis referatur ad verum, id quod his non fiat. Hoc sensu illos relativos, hos absolutos subiunctivos dicit concluditque illis subiectivam, his obiectivam inesse vim. Ita sequeretur, optionem inter duas illas subiunctivorum species minus penes narrantem esse, cuius arbitrio relinqueretur, utrum sententias artius iungeret cum praeterita dicendi vel cogitandi actione nec ne, sed statui ipsa sententiarum, quae explicantur, natura seu subiectiva, ut in subiecti loquentis tantum cogitatione valeant, seu obiectiva, ut in ipsis rebus extraneis positae vel obiectiva, ut in ipsis rebus extraneis positae vel obiective verae sint. Simili fere ratione Reisigius (l. c. §. 312, 1; §. 313 cf. Haasii adn. 378), quod quidem sententias finales attinet, inter absolutos et relativos subiunctivos distinguit. Graeca lingua sententiae propositae documentum afferre videtur, quippe quae imperfecti et plusquamperfecti modos subiunctivos nullos habeat, ceterorum vero temporum duos, coniunctivum et optativum, quorum alter in sententiis finalibus ex Reisigii sententia respondet subiunctivo absoluto, alter relativo. (Cfr. K. W. Krüger, griech. Gramm. §. 54, 8, Anm. 2. 3.) Ceterum in oratione obliqua apud Graecos indicativus est modus absolutus, optativus vero relativus, quorum in illo obiectivam, in hoc magis subiectivam inesse vim, nemo infitiari potest.

Sed licet ipsi conclusioni illi Pfarrii veri aliquid insit, tamen opinio, temporis significationem subiunctivo Romanorum omnino nullam inesse, certe falsa est. Neque enim

obiectiva et subiectiva subiunctivorum vis, si quae iis inest, genuina ac primaria, usus vero, ex quo relativi subiunctivi cum praeteritis tantum temporibus coniungi solent, derivatus est; immo significatio temporum, ex quibus nomina ceperunt subiunctivi (praesentis, imperfecti etc.), natura iis inest, omnisque eorum in lingua usus inde explicandus atque intelligendus est. — Si Pfarrius usu illo germanicae linguae, in qua post ipsum tempus praesens subiunctivi relativi sequi soleant, argumento sententiae suae utitur, hunc quoque usum Hoeggius (‚Ueber den Gebrauch der Zeiten in der indirecten Rede der deutschen Sprache‘, Programm des Arnsberger Gymn. 1854) ad notionem subiunctivorum temporalem, quum actio praeterita, si non verbis expressa, tamen mente sit cogitanda, ad quam subiunctivus relativus sit referendus, revocandum esse docuit. Idem Ramshornio (lat. Schulgramm. §. 116, 2, c.) assentiens, in imperfecti et plusquamperfecti coniunctivis, ubi in directa oratione sententiis conditionalibus, iisque quibus optatur aliquid, eam induunt vim ut aliquid, quod non sit vel fiat verum, exprimant, — ibi quoque notionem praeteriti temporis latere existimat.

Pfarrius (l. c. p. 11) affert locum ex Cic. sen. XXI, 78: ‚(Sic mihi persuasi,) sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum futurorumque prudentia, tot artes, tantae scientiae, tot inventa: non posse eam naturam, quae res eas contineat, esse mortalem: quumque semper agitetur animus nec principium motus habeat, quia se ipse moveat; ne finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus: et quum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam dispar sui atque dissimile, non posse eum dividi; quod si non possit, non posse interire.‘ Sed hoc quoque loco discrimen inter subiunctivos absolutos et relativos in temporali utro rumque vi positum est. Optime explicationem adiuvat illud, quod uncis inclusi, quia Pfarrius non simul attulit, ‚Sic mihi persuasi.‘ Hoc enim ‚persuasi‘, licet statum ma-

gis praesentem (paene ut illud ‚sentio') significare videatur, quam actionem praeteritam, nihil tamen impedit, quin et ipsa praeterita cogitandi ac ratiocinandi actio simul respiciatur, qua ad praesentem persuasionem ac scientiam se perduxerit Cicero. Ad illam vero has sententias ‚quum — esset neque haberet' — optime prae ceteris subiunctivis relativis retulit, ut in iis, quippe quae altius repetitae videantur, quam illae, ipsa, quam in earum veritate eruenda consumpsit, mentis opera clarior appareat. Sane hac quoque ratione subiectiva quaedam vis subiunctivis relativis inditur sententiis illis. Altero Ciceronis, quem Pfarrius affert, loco relatio coniunctivi imperfecti ad praeteritam cogitationem etiam facilius intelligitur.' Caec. 3, ‚Fateor, me salutis omnium causa ad eam partem accessisse reipublicae sublevandae, quae maxime laboraret.' Coniunctivus imperfecti non ex verbo temporis praesentis ‚fateor' pendet, sed ex cogitatione subiecti, quae cum praeterita illa actione, quam significat infinitivus ‚accessisse', iuncta erat. Sententiae directa oratione expressae forma esset haec: — ‚accessi ad eam rei publicae partem, quae — laboraret' (scil. quam laborare tum existimabam). Etiam loci illi, quos Haasius (l. c. adn. 478) attulit, demonstrant, significationem imperfecti et plusquamperfecti temporum subiunctivis relativis esse genuinam.

Quare Hoeggius (l. c. pp. 5, 13, 14) sensus sententiarum obliqua oratione narratos et artius iungi posse cum actione praeterita enuntiandi subiunctivis relativis et, hac relatione neglecta, vel ut ad praesens quoque narrantis tempus pertinentes, vel ad id translatos et sui temporis finibus exemptos, tantum ut aliquod cogitatum, quod narrantis animo obversetur ab eoque simul sit conceptum, referri posse subiunctivis absolutis statuit. Omnino vir doctissimus, ut germanicae linguae, ita historicis quoque latinis liberrimum subiunctivorum absolutorum et relativorum usum in oratione obliqua concedit; id quod et ex eius, quam notavi, commentatione et ex iis, quae vir humanissimus comiter

mecum communicavit, compertum habeo. — Huius si sententiae in universum quidem accedo, simul tamen concludo, ipso illo, quem nec grammatica nec logica ratio certis ac generalibus legibus obstrinxit, liberrimo usu, singulis scriptoribus dari spatium, ut suum quisque proprium ac peculiare in dicendo ingenium libere exerceant. Ex quo apparet, probe posse unum aliquem scriptorem prae ceteris eligi, cuius singularis in re, de qua agitur, usus perquiratur.

III.

Equidem potissimum Cornelium Tacitum, quomodo in concionibus obliquis coniunctivi temporibus sit usus, considerandum mihi proposui, quod apud eum in hac re, sicut, extraneam speciem quod attinet, summam inconstantiam, ita, interiorem si perquiras rationem, accuratam diligentiam et legis unius ac constantis certarumque regularum observationem magis quam apud alios historicos romanos reperias.

Ratione ac consilio igitur Tacitus inter subiunctivos absolutos et relativos eleganter distinxisse mihi videtur, quum ex ipsa sententiarum, quas narrat, natura potius, quam fortuito modo hos modo illos adhibuerit. Id vero quomodo ex utrorumque subiunctivorum genuina, quam temporalem esse ostendi, vi recte fieri possit, iam demonstrandum est. Subiunctivis relativis, ut Hoeggius statuit, artius iunguntur sensus dictorum, qui obliqua oratione narrantur, cum ipsa praeterita actione enuntiandi, vel, ut redeam ad illud, quod de temporum consecutione supra in universum explicavi, sententiae cogitatae referuntur ad ipsam praeteritam subiecti, a quo cogitabantur, cogitationem. Quae relatio negligitur subiunctivis absolutis ratione illa, quae ab Hoeggio est explicata. Iam facile intelligitur, illis effici, ut ipsa peculiaris subiecti cogitatio vel actio atque opera mentis,

quam sententiae subiectum navavit, magis perspicue appareat, his contra nihil respici nisi nudos dictorum sensus a narrante conceptos in eiusque tempus translatos. Subiunctivi relativi igitur e natura sua aptissimi erunt, ubi sententiae ex ipsa subiecti cogitatione sunt hauriendae, quia ea sola, neque vero rebus simul extraneis nituntur, si subiective tantum neque vero obiective verae sunt, vel ubi proprium ac peculiare subiecti, cuius dicta narrantur, exprimunt de rebus iudicium; in universum ubi refert, ut subiectum cogitans in sententia appareat potius, quam ipsa sententiae materies. Absoluti vero subiunctivi iis optime sententiis convenient, quae ipsa materie, quam offerunt, per se vera atque in rebus extraneis posita narrantem ab ipsa praeterita subiecti loquentis cogitatione ad obiecta potius ipsius animo simul obversantia advertunt, ex quibus ita sententias, quas narrat, ipse simul concipere easque suae legentiumque cogitationi ac iudicio propius admovere videtur. Ita, quamquam alia via, ad eundem fere, quo Pfarrius, finem tamen pervenimus, ut concludamus, subiunctivis relativis subiectivam, absolutis magis obiectivam (liceat nobis retinere voces has a Pfarrio usurpatas) inesse vim; id quod intelligendum est ita, ut his magis obiecta sententiarum vel res, quas exprimunt, illis magis subiectum, quod eas cogitavit atque enuntiavit, respici putetur.

Iam priusquam ad singulas ac speciales quaestiones transeamus, haud alienum videtur, integra nonnulla concionum obliquarum exempla e Taciti scriptis afferre, ex quibus quum subito in iis subiunctivus absolutus relativum, vel hic illum excipiat, intelligatur, haud sine aliqua, quae in ipsa sententiarum natura sit posita, causa hoc esse factum a scriptore alias tam diligenti, ut vix quicquam in dictione eius, licet multas exhibeat proprietates, sit fortuitum. Immo accurate spectantem arbitror iam suspicaturum esse in exemplis his generalem, quae antea statuta est, legem, ita ut pronum iam ac praeparatum animum ad speciales, quae sequentur, quaestiones attendat:

Ann. I, 17: (Postremo interrogabat); ,cur paucis centurionibus — in modum servorum obedirent? Quando ausuros exposcere remedia, nisi novum et nutantem adhuc principem precibus vel armis adirent? Satis per tot annos ignavia peccatum, quod tricena aut quadragena stipendia senes et plerique truncato ex vulneribus corpore tolerent. — — Ac si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum uligines paludum et inculta montium accipiant. — — Nec aliud levamentum, quam si certis sub legibus militia iniretur, ut singulos denarios mererent, sextus decumus stipendii annus finem adferret; ne ultra sub vexillis tenerentur, sed isdem in castris praemium pecunia solveretur. An praetorias cohortes, quae binos denarios acceperint, quae post sedecim annos penatibus suis reddantur, plus periculorum suscipere?' III, 5: (Fuere qui publici funeris pompam requirerent (in Germanici funere), compararentque, quae in Drusum patrem Germanici honora et magnifica Augustus fecisset): —,cuncta a maioribus reperta aut, quae posteri invenerint cumulata. — — sed tanto plura decora mox tribui par fuisse (Germanico defuncto), quanto prima fors negavisset.' IV, 70: ,Quem enim diem vacuum poena, ubi inter sacra et vota, quo tempore verbis etiam profanis abstinere mos esset, vincla et laqueus inducantur.'

Tantum abest ut subiunctivi absoluti in concionibus obliquis a Tacito narratis, ubi verbum regens antecedit praeteritum, explicandi sint eo, quod pro hoc cogitaverit de praesenti historico, ut vel tum, quum concio obliqua pendet ex verbo praesentis historici, plerumque nihil forma haec extranea, sed verum tempus, ex quo refertur, valeat, coniunctivi vero tempora adhibeantur ex ipsarum sententiarum natura. Documento sint ex plurimis exemplis quae afferri possunt, haec pauca:

Hist. IV, 81: — ,aestimari a medicis' iubet, ,an talis caecitas ac debilitas ope humana superabiles forent.' — 52: Vespasianus ,bono esse animo' iubet, ,belloque et armis

rem publicam attolleret.' — 57: — circumdant, obtestante Vocula, ,non adeo turbatam — rem Romanam, ut Treveris etiam Lingonibusque despectui sit. — — Eadem rursus numina exspectarent. Nunc hostes, quia molle servitium, cum spoliati exutique fuerint, amicos fore.' III, 84: — admovent, ,quidquid — tot proeliis laboris ac periculi hausissent, — consummari' clamitantes. — — ,Ni statim recipiantur, noctem in armis agendam.'

IV.

Iam quum generalem, in qua singulae quaestiones nitantur, legem posuerim in subiectiva relativorum, obiectiva absolutorum subiunctivorum vi, in universum discernendae sunt duae rationes, quibus sententiis alienis obliqua oratione narratis subiectiva illa vis inesse possit. Aut enim per se iam habere potest sententia vim subiectivam, ipsius subiecti, cuius dicta narrantur, sponte inde ab initio ei inditam, aut sententia vim subiectivam ex ea demum ratione recipit, qua concipitur mente ac iudicio narrantis. Prioris generis sententiae, in quas referendae sunt omnes illae, quibus aliquid non simpliciter pro vero ponit subiectum, sed ita tantum exprimit, ut minus ex obiectis ab ipso cognitum, quam ipsius voluntate ac cogitatione arcessitum videatur (cf. Ferd. Schultz, lat. Sprachl. §, 339), ubi lex statuta cum constantia servatur, subiunctivos relativos sine exceptione flagitant, quum contra in alterius generis sententiis usus subiunctivorum utrorumque saepe e iudicio atque arbitrio narrantis variare potest. Ita si quidem lex illa, quam quasi fundamentum commentationi meae subieci, Taciti in concionibus obliquis usum quod attinet, est vera, necessario sequitur prima regula haec:

Omnes sententiae, in quibus voluntas subiecti loquentis in directa oratione declaratur non notione, sed modo verbi

(coniunctivo aut imperativo), in concionibus obliquis flagitant subiunctivos relativos.

Haec regula ex ipsa rei natura petita probatur omnibus concionibus obliquis Taciti, in quibus exempla huc pertinentia occurrunt maximeque iis, in quibus subiunctivi absoluti in aliis sententiis adhibiti, saepe etiam verbi regentis praesens historicum, quod antecedit, satis ostendunt, scriptorem non fortuito posuisse subiunctivos relativos, sed ratione ac consilio sententiarumque natura ductum. Omnium primum huc pertinent sententiae hortativae:

Ann. II, 45 — ‚fugacem Maroboduum — haud minus infensis animis exturbandum, quam Varum Quintilium interfecerint. Meminissent modo tot praeliorum, quorum eventu — satis probatum, penes utros summa belli fuerit!‘ IV, 39: — ‚quoniam audiverit, — ita haberet in animo, amicum sola necessitudinis gloria usurum.‘ XIV, 52: — ‚Quem ad finem nihil in republica clarum fore, quod — non credatur. Exueret magistrum.‘ — 61: ‚Denique si id rebus conducat, libens quam coactus acciret dominam, vel consuleret securitati —. — at si desperent.‘ — Hist. III, 70: — ‚Si conventionis poeniteat, non se, quem perfidia deceperit, ferro peteret, —. Iret obviam legionibus et de summa rerum illic certaret.‘ IV, 14: (Civilis — enumerat): — — ‚quos ubi expleverint — —. Instare delectum — quo dividantur. — — Attollerent tantum oculos, et inania legionum nomina ne pavescerent.‘ 24: Hordeonium — iubere quicquid hosti conducat. Quin potius — fortunam virtutemque suam malo omine exsolverent.‘ Etiam plura si quis desiderat exempla relativorum in sententiis hortativis subiunctivorum, conferat, si placet, conciones obliquas, quae sunt in ann. I, 19. 44; II, 15; III, 17; XI, 23; XIV, 22. 36; XV, 11. 17; XVI, 28; hist. I, 32. 65; III, 66; IV, 17. 57. 72; V, 25; Agr. 15.

Prorsus eiusdem naturae sunt eae sententiae, in quibus forma iussus vel hortationis conceditur vel permittitur aliquid; quae persaepe cum ipsis sententiis hortativis coniun-

ctae occurrunt. Ann. XI, 23: (Antecedit subiunctivus absolutus — ,qui — conati sint'). — ,Fruerentur sane vocabulo civitatis (permissio), insignia patrum ne vulgarent' (hortatio). Hist. IV, 8: (Antecedunt subiunctivi absoluti). ,— Denique constantia fortitudine Catonibus et Brutis aequaretur Helvidius: se unum esse ex eo senatu, qui semel servierit.'

Diversi ab ante allatis exemplis sunt duo, qui hic sequuntur loci, in quibus verbum regens est praesens historicum, quocum subiunctivus absolutus adhibitus in sententia hortativa arte cohaeret. Ann. IV, 24: Differtur per manipulos, ,Tacfarinatem omnes, notum tot proeliis consectentur.' VI, 37: Vitellius — monet Tiridatem primoresque, hunc Phraatis avi et altoris Caesaris meminerit, illos obsequium in regem retinerent.

Iam intelligitur, in ann. XIV, 1, ubi codex Mediceus exhibet haec, ,Quodsi nurum Agrippina non nisi filio infestam ferre posset, redditur ipsa Othonis coniugio' non legendum esse, ,reddatur', quod Orellius aliique, sed ,redderetur' quod Halmius, Nipperdeius, alii restituerunt. Corruptela vero illa similis est illis quae sunt in ann. III, 67 ,interrogentur' pro ,interrogarentur' (cf. p. 3), XIII, 27 ,separentur' pro ,separarentur', II, 26 ,est' pro ,esset'. Acidalius aut ,possit' aut ,redderetur' mutandum esse censet. Sed ex eo elucet, illum non intellexisse veram correctionis rationem. Nam huic subiunctivo ,redderetur' nihil est cum illo. Immo etiamsi legeretur ,possit', tamen esset legendum ,redderetur'. Sed subiunctivi ,posset' quae sit ratio infra, ubi de sententiis causalibus agetur, videbimus. Eadem ratione pro lectione codicum ,derogent', quam Waltherus defendit, recte restituitur ,derogarent' in ann. XIII, 27: ,—scripsitque Caesar senatui, privatim expenderent causam libertorum, quotiens a patronis arguerentur: in commune nihil derogent.'

Sicut in sententiis hortativis, ita in iis quoque, quae *exprimunt optationem* ipsius subiecti, ordientes a particulis

,dum', ,modo', similibus, Tacitus secundum legem statutam subiunctivos relativos et adhibere debuit et revera adhibuit. Ann. XIII, 38 ,Quantum Corbuloni cuiusque generis militum assisteret, (se) non statuere, dum positis loricis et galeis in faciem pacis veniretur.' Agric. 15: ,Recessuros, ut divus Iulius recessisset, modo virtutem maiorum suorum aemularentur.' Quid subiectum loquens voluerit, exprimitur etiam sententia particula ,nedum' inchoante hac (ann. III, 73): — ,Ne Spartaco quidem datum, ut pacto in fidem acciperetur; nedum pulcherrimo populi Romani fastigio latro Tacfarinas pace et concessione agrorum redimeretur.' (— noch viel weniger sollte —). Porro huc pertinent omnes sententiae coniunctionibus ,ut' vel ,ne' vel voce relativa connexae cum verbo ipsius concionis obliquae, in quo inest vis imperandi, precandi, hortandi; si huius verbi subiectum est persona loquens. Ann. XII, 19: Eunones — legatos — in hunc modum mittit: (— Bellorum egregios fines, quotiens ignoscendo transigatur), — pro Mithridate — non potentiam neque regnum (se) precari, sed ne triumpharetur neve poenas capite expenderet.' I, 29: Drusus — negat, ,se terrore et minis vinci: Flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet.' Ernestius solito more coniecit ,excipiat', quia veram Taciti rationem, qua inter absolutos et relativos subiunctivos discernit, non intellexit. Crollius Ernestii coniecturam probat. Wolfius contra adnotat: ,Haud dubie nimis insolens h. l. videtur imperfectum; non tamen ad Taciti mentem.' Waltherus defendit subiunctivum imperfecti ,exciperet' eo, quod optativum graecorum confert conditionemque subaudit in hunc modum: — ,scripturus est, ut, si forte vellet, exciperet.' Mea quantopere differat explicandi ratio ab hac Waltheri, elucet ex iis, quae in exordio de temporum consecutione in universum maximeque ex iis quae ibidem contra Pfarrium disputavi. Hist. IV, 8: (Antecedunt subiunctivi absoluti cum *relativis* mixti.) ,Suadere (se) etiam Prisco, ne supra

principem scanderet, ne Vespasianum senem triumphalem — praeceptis coerceret.' Inter eiusmodi locos afferendus est etiam hic ann. IV, 7: (Drusus crebro queritur contra Seianum, incolumi filio adiutorem imperii alium vocari.) — ,Precandam post haec modestiam, ut contentus esset' (scil.: ,Precari — se debere, ut contentus esset').

Similes sunt antecedentibus exemplis eae sententiae finales, quibus exprimitur ipsius subiecti loquentis consilium. Ann. XIII, 49: Thrasea — ,non praesentium ignarum', respondebat, ,eiusmodi consulta corrigere, sed patrum honori dare, ut manifestum fieret.' — Ann. XIV, 1: — Ituram (se) quoquo terrarum, ubi audiret potius contumelias imperatoris, quam viseret periculis eius immixta' (,damit sie dort — höre' vel ,wo sie lieber — hören wolle'). Hist. IV, 72: — ,ipsis (scil. militibus, quorum dicta narrantur,) sufficere ignes et rebellis exercitus ruinas, quibus tot castrorum excidia pensarentur' (,damit dadurch — aufgewogen würden' vel active ,wodurch wir — aufwägen wollen'). V, 16: (Cerialis milites alloquitur) — ,Ut perfidum, ignavum, victum hostem in aeternum exscinderent, ultione magis, quam proelio opus esse.' Consilium, quod sit in mente ipsius subiecti loquentis, perspicuum est, si hanc in directa oratione fingimus sententiae formam: ,Ultionem magis quam praelium desidero, ut — excidatis' vel ,Ut — excidamus, nobis opus est.'

Etiam illae sententiae secundariae concionum obliquarum, quibus non simpliciter pro vero aliquid ponit subiectum loquens, sed tanquam morem alicui gerens, concedit tantum, ut pro vero accipiatur, — ut haec eius actio voluntatis appareat, ad praeteritam ipsius cogitationem referendae sunt subiunctivis relativis. Ann. XII, 19: Eunones — litteras ad Caesarem mittit: — ,Pro Mithridate, quando gravius mereretur, non potentiam neque regnum precari' (dir.: — ,quando — mereatur' german.: ,weil er — verdienen mag'). Commode huc referri potest locus hic ann. III, 61: Primi omnium Ephesii adiere memorantes, ,non ut vul-

gus crederet (dir.: ,ut — credat' germ.: ,wie — glauben mag') Dianam atque Apollinem Delo genitos'. (Sequitur: — ,quae — maneat'). Ita contemptio quaedam exprimitur Ephesiorum, qui nihil curant, quid vulgo de re illa perhibeatur. (cf. Ramshorn l. c. §. 166, 4, a).

V.

Si aliquid non simpliciter esse, sed esse posse dicitur sub conditione mente supplenda vel verbis, quamquam non forma sententiae conditionalis, expressa, proprie non res vera, sed rei tantum idea cogitatione subiecti loquentis nisa proponitur; id quod significatur in directa oratione coniunctivo potentiali, quem vocant. Hic et in sententiis primariis secundariisque, quibus affirmatur aliquid, ubi saepe affirmationi speciem quandam modestiae affert, et in interrogationibus, in quibus dubitationem interrogantis exprimit, locum habere potest.] (Cf. Madvig. l. c. §. 350; G. T. A. Krüger l. c. §. 457. 614; Ferd. Schultz l. c. §. 341. 342.) Sed eae quoque sententiae, in quibus indicativum futuri habet directa oratio, quamquam eventum rei certiorem ostendunt, tamen proprie nihil nisi actionis non iam verae ideam, quae non nisi in cogitatione loquentis est, exprimunt. (Cf. Haase l. c. a. 446; G. T. A. Krüger l. c. p. 839 a. 1.) Ita intelligitur, quae sit ratio eorum in Taciti concionibus obliquis subiunctivorum relativorum, quos germanice reddimus per ,mögen, können, sollen, werden', itemque cur ibidem absolutis subiunctivis eadem vis inesse non possit. Ann. XIV, 61 — ,vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et servitiis Octaviae, quae plebis sibi nomen indiderint, ea in pace ausi, quae vix bello evenirent (dir: —,eveniant' germ: — ,vorfallen mag' sive ,möchte'), Hist, I, 21: — ,suspectum semper invisumque dominantibus, qui proximus destinaretur' (wer etwa als Nachfolger be-

stimmt werden könnte). XII, 10: — ‚Ideo regum obsides liberos dari, ut, si domestici imperii taedeat, sit regressus ad principem patresque, quorum moribus assuefactus rex melior adscisceretur‘ (wo dann ein an deren Sitten gewöhnter besserer König herbeigerufen werden könne). Hist. III, 2: — ‚Superesse Vespasiano mare, classes, studia provinciarum, per quas velut alterius belli molem cieret‘ (in denen — er erregen könne). Hist. IV, 69: Deterruit plerosque provinciarum aemulatio: ‚Quod bello caput? Unde ius auspiciumque peterentur? Quam, si cuncta prospere evenissent, sedem imperio legerent?‘ II, 74: Vespasianus modo in spem erectus, modo adversa reputabat: ‚Quis ille dies foret, quo sexaginta aetatis annos et duos filios iuvenes bello permitteret‘ (Was werde das für ein Tag sein, an welchem er — anheimgeben werde)? Ann. XIV, 61: — ‚ducem tantum defuisse, qui motis rebus facile repperiretur‘ (werde gefunden werden). XII, 6: — ‚Nec diu anquirendum, quin Agrippina claritudine generis anteiret.‘ (Sensus est hic: ‚Und man brauche nicht lange zu suchen, ohne dass man einsehen werde, dass — hervorrage.‘ Cf. Nipperd. ad h. l.). XVI, 26: — ‚Ut Neronem flagitiorum pudor caperet (ergreifen werde), irrita spe agitari; multoque magis timendum, ne in coniugem, in familiam, in cetera pignora eius saeviret‘ (wüthen werde). Hist. IV, 76: Apud Germanos diversis studiis certabatur. Civilis ‚opperiendas Transrhenanorum gentes, quarum terrore fractae populi Romani vires obtererentur‘ (dir: obterentur). III, 66 — ‚Nec tantam Vespasiano superbiam, ut privatum Vitellium pateretur; ne victos quidem laturos.‘ Conferatur cum subiunctivo relativo illo absolutus hic, qui in eadem concione obliqua sequitur: ‚Fabium illis Valentem captivum et rebus dubiis reservatum praegravem fuisse: nedum Primus ac Fuscus et specimen partium Mucianus ullam in Vitellium nisi occidendi licentiam habeant.‘ Illo loco agitur de re futura, quid eventurum sit, si Vitellius se Vespasiano dediderit (dir: ‚Privatum Vitellium non

patietur Vespasianus' vel — ,non pateretur —'); hoc loco sermo est de eo, quod iam tunc contra Vitellium fuerit statutum (dir: ,— nullam — licentiam habent'). Ann. XV, 59: Fuere, qui — hortarentur Pisonem pergere in castra —. — ,Nihil adversum haec Neroni provisum. Etiam fortes viros subitis terreri; nedum ille scenicus — arma contra cieret' (dir: ,Scenicus ille arma non contra ciebit').

VI.

Sententia conditionali non affirmatur, sed fingitur aliquid, ut ostendatur, quid cum eo cohaereat nexu causali. Duo autem potissimum, quod pertinet ad finem mihi propositum, genera discernenda sunt: Aut simpliciter aliquid pro vero ponitur, aut respicitur simul ratio, quae intercedat inter ipsam rem positam et res extraneas, num per has obiective quoque vera possit esse illa. Prius illud genus unum est ac simplex et requirit in directa oratione indicativum modum cuiuslibet temporis praeter futuri. Alterum vero genus amplectitur tres species secundarias. Enuntiatur enim conditio aut ut non vera, cogitatione loquentis ficta tantum, aut ita, ut vera esse possit, licet sit incertum, num sit; aut sine significatione incerti permittitur tempori futuro, utrum vera fiat nec ne. Prima species postulat imperfecti vel plusquamperfecti, altera praesentis vel perfecti coniunctivum, tertia futuri indicativum. Cf. Ferd. Schultz l. c. §. 340 a. 3.

Iam quod Taciti conciones obliquas attinet, sententiis conditionalibus quoque magnopere probatur lex illa, quam statui, generalis. Secundum enim omne genus ubique habet subiunctivos relativos, quos necessario flagitat, quoniam cum iis, quae eo pertinent, sententiis conditionalibus, nunquam non iuncta apparet cogitatio ipsius subiecti loquentis, quod

ex paucis illis, quae de trium specierum natura sunt dicta, et ex earum in directa oratione structura satis elucet. Prioris vero generis sententiae conditionales, quippe quibus obiective ponatur conditio, nihil immixta subiectiva de veritate eius cogitatione, plerumque absolutis subiunctivis explicantur; quamquam hoc semper fiat necesse non est ex lege statuta, per quam eas quoque sententias, quibus subiectiva vis in directa oratione non erat indita, tamen a narrante ipsius arbitrio ac iudicio cum subiecti loquentis praeterita cogitatione artius iungi licet. Hoc igitur primum exemplis erit demonstrandum, sententias conditionales, quas subiunctivis absolutis in concionibns obliquis explicavit Tacitus, nunquam esse secundi, sed prioris generis; id quod maxime quidem in promptu est ibi, ubi de veritate conditionis positae iam vix ambigere potuit subiectum, quum ea ex parte quidem iam vera esset. Ann. XI, 16: — ‚Adeo neminem isdem in terris ortum, qui principem locum impleat, nisi exploratoris Flavi progenies super cunctos attollatur?‘ Revera iam Flavii progenies super cunctos attollebatur, quum Italicus, Flavii filius, Roma rex esset accitus. (nisi = nisi si = ausser wenn.) In directa oratione esset sententiae conditionalis forma haec: — ‚nisi attollitur.‘ Prorsus similis est locus ex ann. XI, 23 hic: Quum primores Galliae, quae comata appellatur, ius adipiscendorum in urbe honorum expeterent, diversis studiis certabatur: — ‚An parum, quod Veneti et Insubres curiam inruperint, nisi coetus alienigenarum velut captivitas i n f e r a t u r.‘ Iam rogatione illa primorum Galliae comatae quodammodo inferebatur, ‚coetus alienigenarum velut captivitas‘. XV, 1: — ‚nisi defendant Parthi, levius servitium apud Romanos deditis, quam captis esse.‘ Sicut ex iis, quae in eodem capite antecedunt, elucet, revera Parthi ad id tempus Adiabenos, qui queruntur, non defendebant (nisi = si non). Esset igitur in directa oratione sententia conditionalis haec: — ‚nisi defendunt Parthi‘ (subaudias: id quod revera non faciunt). Hist. III, 24: *Antonius* — *alios* pudore et probris — accendens — in-

terrogabat. — — Tum ad Moesicos conversus, principes auctoresque belli ciebat: ‚Frustra verbis et minis provocatos Vitellianos, si manus eorum oculosque non tolerent.' Est sententia conditionalis prioris generis, in dir. or: ‚si — non toleratis.' Quodammodo enim obiicit Antonius Moesicis, non tolerare eos Vitellianorum manus oculosque, quod antea non vicerant. Haec sunt pudor et probra illa, quibus accendisse Antonium Tacitus dicit nonnullorum militum animos. Cf. 53. IV, 17: Galliarum societatem Civilis arte donisque affectabat —: — ‚Nunc easdem omnium partes, addito si quid militaris disciplinae in castris Romanorum viguerit.' In dir. or: ‚si quid — viguit.' Neque enim in incerto relinquitur, num aliquid militaris disciplinae apud Romanos viguerit; immo id pro vero agnoscitur. Ipsum hoc tantum, quid — viguerit, sententia conditionali magis infinite significatur. Cf. ex directa oratione II, 76: ‚Si quid ardoris ac ferociae miles habuit, popinis — deteritur.' — Eodem, quo ante allata exempla, pertinent sententiae conditionales illae, quibus non unum aliquid ac singulare, sed totum quodammodo genus rerum vel actionum respicitur, quales saepius et factae iam sunt et fient. Exempla sunt haec: Ann. III, 33: — ‚Non imbecillum tantum et imparem laboribus sexum, sed si licentia adsit (dir: si — adest), saevum, —.' 34: — ‚Viri in eo culpam, si femina modum excedat.' II, 12 — ‚Si concio vocetur, illic quoque, quae pauci incipiant, reliquos obstrepere.' — Germanicus, cuius haec sunt verba, hic non eam solam, quam ipse tunc forte vocare posset, concionem respexit, sed de concionibus in universum loquitur. Hoc sensu nec ‚si — vocetur' nec ‚si — vocabitur', sed solum hoc ‚si — vocatur' in directa oratione esset aptum. Cum hoc exemplo bene conferri potest illud ex eiusdem libri c. 5: Germanicus reputare praeliorum vias et, quae sibi tertium iam annum belligeranti saeva vel prospera evenissent: — ‚at si mare intretur, promptam ipsis possessionem.' — Intelligitur ratio sententiae conditionalis ex iis, quae concioni obliquae antecedunt. Reputat enim

Germanicus de re iam experta, neque igitur sententia conditionali incertum aliquid vel futurum ponitur. (Cf. ann. I, 6. 17; XII, 10). Omnino prius illud genus sententiarum conditionalium aptum est ibi, ubi id tantum loquentis interest, ut appareat nexus causalis, quo protasis et apodosis necessario cohaereant, id vero, utrum verum sit vel fiat necne, quod sententia conditionali ponitur, minus curatur. Tum singularis quaedam vis adseverationis cadere solet in apodosin; cuius veritas ut efficacius indicetur, simpliciter pro vero ponitur illud, ex cuius veritate illa pendet. Eiusmodi exempla sunt haec: Ann. XVI, 22: (Thrasea incusatur): — ‚Secessionem iam id et partes, et, si idem multi audeant, bellum esse.' Minus id agitur hoc loco, num forte verum fiat id, quod sententia conditionali ponitur, sed praesens rerum status qualis sit. (Dir: — ‚si idem multi audent, bellum est'). Hist. I, 32: — ‚Denique eundi ultro si ratio sit, eandem mox facultatem, regressus si paeniteat, in aliena potestate.' III, 20: — ‚Non, si pateant portae, nisi explorato, nisi die intrandum.' V, 24: — ‚Si Vespasiano bellum navaverint, Vespasianum rerum potiri; sin populum Romanum armis vocent, quotam partem generis humani Batavos esse. — — Ventum ad extrema, ni resipiscere incipiant et, noxii capitis poena paenitentiam fateantur.' Cf. hist. I, 33. 56; III, 2; IV, 17. 76. Hist. IV, 7: — ‚Fuisse Vespasiano amicitiam cum Thrasea, Sorano, Sentio; quorum accusatores etiam si puniri non oporteat, ostentari non debere.' In dir. or: — ‚etiamsi non oportet'. Hoc ponitur pro vero a loquente, ut nihilo minus teneat illud: ‚ostentari certe non debent.' Cf. II, 32. Ann. XIV, 61: (Octavia Neronis coniux mota erat civili discidio, deinde in Campaniam pulsa, addita militari custodia. Poppaea iuncta Neroni. Has ob causas tumultu exorto, Poppaea, semper odio, tum et metu atrox, ne aut vulgi acrior vis ingrueret, aut Nero inclinatione populi mutaretur, provoluta genibus eius — ita lamentata est): — ‚Denique, si id rebus conducat, libens, quam coactus acciret dominam' (scil.

Octaviam). Cum ironia quadam atque acerbitate, quo magis exstimuletur Neronis in Octaviam ira, simpliciter pro vero ponit Poppaea aliquid, ex quo pendeat hortatio, quae odiosa atque intolerabilis est Neroni, ut cum hac illud quoque detestetur atque accipere pro vero abnuat. Eodem consilio Octaviam vocat dominam Poppaea. Cuius verborum sensus est fere hic: ‚Accias dominam tuam; nempe id rebus conducit.‘ Sed vult, ut respondeat Nero: ‚Non id conducit rebus, immo aliud (sc. mors Octaviae); ergo non acciam.‘ Iam quanto sit aptius in directa oratione accipere hanc sententiae conditionalis formam: ‚si — conducit‘ quam hanc: ‚si conducat‘ quisque intelliget. XIV, 3: Anicetus — ‚navem posse componi‘ docet, ‚cuius pars ipso in mari per artem soluta effunderet ignaram. Nihil tam capax fortuitorum quam mare; et si naufragio intercepta s i t, quem adeo iniquum, ut sceleri adsignet, quod venti et fluctus deliquerint.‘ In directa oratione sententiae conditionalis forma esset neque haec: ‚si — intercepta sit‘ neque haec: ‚si — intercepta erit‘. Nihil enim cogitatur de eventu consilii propositi, sed loquentis nihil interest, nisi ut agnoscatur nexus causalis, qui est inter protasin et apodosin. Pro vero aliquid ponitur, ut in eo tanquam causa veritas affirmationis, quae est in apodosi (scil. ‚neminem sceleri adsignare‘), nitatur. Haec loci ratio probatur antecedenti sententia generali: ‚Nihil tam capax fortuitorum quam mare‘, qua iam vertitur animus ad solum id, quod nexu inter protasin et apodosin verum efficitur; neque minus eadem illa liquet subiunctivis absolutis ‚ut — adsignet‘, (‚dass er — zuschreibe‘ non — ‚zuschreiben würde‘), ‚quod — deliquerint‘ (‚was — verbrochen hätten‘ non — ‚haben würden‘ cf. supra c. V). Totum etiam melius intelligitur, si protasin in duas sententias dividimus has: — ‚Si consilium propositum prospere cessisset (cum cogitatione subiecti loquentis de eventu, dir: ‚si — cesserit‘), quoniam (tum) naufragio intercepta s i t (dir: — ‚est‘), quem adeo iniqum —.‘ Simili ratione, qua in exemplis ante allatis, prius sententiarum conditionalium

genus explicandum est iis locis, in quibus tempus futurum, quod est in apodosi, trahere videtur ad accipiendum alterum genus. In eiusmodi exemplis ea, quae protasi et apodosi dicuntur, plerumque non cadunt necessario in unum tempus, sed futurum, quod est in apodosi, etiam valet inde ab eo tempore, quo positum illud in protasi iam verum est. Hist. III, 19: Nec Antonius ultra institit, memor laboris ac vulnerum —. —(Milites) Cremonam — expugnare deposcunt: — ‚Quodsi lucem opperiantur, iam preces et pro labore ac volneribus clementiam et gloriam, inania, laturos; sed opes Cremonensium in sinu praefectorum legatorumque fore.' — Id, quod sententia conditionali ponitur, ex parte iam est verum, sicut elucet ex antecedentibus illis ‚Nec Antonius ultra institit' —. Ann. I, 29: ‚Flexos ad modestiam si videat, si supplices audiat, scripturum patri, ut placatus legionum preces exciperet.' Conferantur ea, quae sequuntur: ‚Tum redire paulatim amor obsequii' etc. Ann. III, 34: (Valerius respondit Severo Caecinae, qui censuerat, ne quem magistratum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur): — ‚Simul sexum natura invalidum deseri et exponi suo luxu, cupidinibus alienis. Vix praesenti custodia manere inlaesa coniugia: quid fore, si per plures annos in modum discidii oblitterentur.' Hoc loco iam infinitivis illis praesentis, qui antecedunt, ‚deseri et exponi' ostenditur, sententia illa conditionali poni aliquid pro vero in praesenti, ut maiore vi audientium ante oculos ponatur, quid ex Caecinae sententia, si valeat, haud dubie sequatur. Cf. quae exposita sunt supra p. 23 de loco illo ann. XIV, 3. Ann. III, 34: Addidit Drusus pauca de matrimonio suo: — ‚Se quoque in Illyricum profectum et, si ita conducat, alias ad gentes iturum, haud semper aequo cum animo, si ab uxore carissima et tot communium liberorum parente divelleretur.' — Priore sententia conditionali urgetur solum illud, quod nexu inter protasin et apodosin necessario nitatur verum. Altera vero opponitur aliquid a loquente fictum ei, quod in praesenti est verum: ‚Nunc id aequo cum animo facio, sed non aequo cum animo fa-

cerem, si — divellerer'; aut (tanquam sit incertum, utrum futurum sit positum illud necne, vel sine significatione incerti cum cogitatione tantum subiecti loquentis de eventu futuro) ita: — ‚non faciam, si — divellar' (vel coni. praes. vel fut. ind.). Hist. IV, 55: Certatim (Treveri ac Lingones) proclamant: — ‚Si Alpes praesidiis firmentur, coalita libertate dispecturas Gallias, quem virium suarum terminum velint' (dir: ‚Si — firmantur, — dispicient'). Nihil ostendere is, qui loquitur, vult, nisi quanto sit commodo firmare Alpes, ut ita impellantur ceteri Galli ad illas firmandas. Nihil igitur refert, ut is, qui loquitur, simul exprimat cogitationem suam de veritate rei positae seu dubiae seu futurae. Immo infringeretur ita, quod mihi quidem videtur, vis affirmationis, quae in re posita innititur. Hist. III, 84: (Milites clamitant): — ‚Ni statim recipiantur, noctem in armis agendam.' Hoc loco iam particula ‚statim' flagitare videtur sententiae conditionalis formam hanc: ‚Ni statim recipimur'. Iam facilius erit explanare locum, in quo de duabus sententiis conditionalibus, quae prorsus inter se similes videntur, altera tamen habet subiunctivum relativum, altera absolutum. Hist. IV, 20: Batavi cum castris Bonnensibus propinquarent, praemisere, qui Herennio Gallo mandata cohortium exponeret: — ‚Si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros.' Priorem sententiam conditionalem esse alterius generis (‚Wenn Niemand Wiederstand leisten werde' vel — ‚sollte', dir: ‚Si nemo obsistet' vel — ‚obsistat'), hoc nemo impugnaverit. Sed cur non item altera ‚sin — occurrant'? Concedo, pro subiunctivo absoluto hoc posse substitui relativum ‚occurrerent', cui responderet in directa oratione hoc ‚sin — occurrent' vel — ‚occurrant'. Sed consulto Tacitus duo illa sententiarum conditionalium genera distinxisse videtur. Accuratius enim spectantem non fugiet maior illa vis, qua minantur Batavi his: ‚sin arma occurrunt, ferro viam inveniemus'. Etiam si germanice hanc sententiae conditionalis formam reddimus, idem sentiemus. Maior enim minationis

quaedam vis apparere videtur in his: ,wenn aber Waffengewalt uns entgegentritt, dann werden wir' — quam in his: ,wenn aber Waffengewalt uns entgegentreten wird' vel — ,treten sollte, dann werden' vel ,würden wir —'. Priore illo ,si nemo obsisteret', quum rem positam, num fiat vera, incerto eventui temporis futuri permittunt Batavi, negligentius loqui videntur, hoc ,sin — occurrant' minacius, quum, nihil curantes, utrum vera fiat res posita necne, id tantum urgent, quid nexu necessario cum ea sit iunctum. Ita eo, quod incertum ac dubium a protasis forma est remotum, ipsi apodosi, quippe cuius veritas ex illa pendeat, firmi quiddam ac rati additur. Conferatur cum hoc loco similis ille in hist. V, 24: — ,Si quid ultra moliantur, inde iniuriam et culpam, hinc ultionem et deos fore'. Verum alia est ratio loci huius (hist. IV, 75): Civilis et Classicus misere ad Cerialem epistolas, quarum haec sententia fuit: ,Vespasianum, quamquam nuntios occultarent, excessisse vita; urbem atque Italiam interno bello consumptam; Muciani et Domitiani vana et sine viribus nomina. Si Cerialis imperium Galliarum velit, ipsos finibus suis contentos; si praelium mallet, ne id quidem abnuere'. Ernestius ad hunc locum adnotat: ,Alterutrum vitiosum, et aut ,vellet' legendum aut ,malit'; posterius latinius; itaque sic correxi'. — Sed nihil opus erat hac correctione. Antecedentia enim (,Vespasianum — — nomina.') docent, formas sententiarum conditionalium in directa oratione esse has: ,Si Cerialis vult, contenti sumus; si — malit, ne id quidem abnuimus'. Priore enim illa sententia conditionali offerunt Civilis et Classicus Ceriali aliquid, quod propter ea, quae praemiserunt, vix eum posse repudiare existimant; quare simpliciter pro vero illud ponunt. Cf. ad hist. IV, 55 p. 25. Altera vero sententia conditionali, positum num sit verum, iisdem de causis dubitare se significant coniunctivo ,malit'. Denique addam, ut comparentur cum illis ex concionibus obliquis exemplis, ex concionibus directis, quae apud Tacitum leguntur, locos hos, in quibus similibus de causis prius

sententiarum conditionalium genus iunctum est cum tempore futuro in apodosi: Hist. III, 24 (cf. eiusdem cap. locus explicatus p. 21): —. mox infensius praetorianis, ,vos', inquit ,nisi vincitis, pagani, quis alius imperator, quae alia castra excipient?' III, 2: — ,Nisi quis retinet, idem suasor auctorque consilii ero.' Ann. XV, 2: — ,Si cunctatione deliqui, virtute corrigam.'

Iam quum eas sententias conditionales in Taciti concionibus obliquis, quae subiunctivis absolutis exponuntur, semper prioris generis esse, satis sit demonstratum, praeter exempla illa inter antecedentia iam explicata afferam alia nonnulla, in quibus subiunctivi relativi alterum genus indicant. Statim occurrit locus, ubi ambo genera haud sane fortuito subiunctivis relativo et absoluto distinxit scriptor: Hist. IV, 81: Medici varie disserere: ,Huic non exesam vim luminis et redituram, si pellerentur obstantia; illi elapsos in pravum artus, si salubris vis adhibeatur, posse integrari.' Illic, ipsa res posita num fiat vera, respici, satis significatur tempore futuro quod est in apodosi. (Dir.: — ,redibit, si pellentur' — vel — ,pellantur' —). Hic vero id tantum urgetur, quod nitatur nexu inter protasin et apodosin verum in praesenti (— ,possunt integrari, si — adhibetur'). Omnino tempus futurum in apodosi, exceptis eiusmodi exemplis, qualia in antecedentibus sunt explicata, indicare solet alterum sententiarum conditionalium genus. Cf. Ann. I, 17; XIII, 6. 38; XIV, 20; XV, 62; hist. IV, 52; II, 32; XIII, 37: (Tiridates) — mittebat oratores (ad Corbulonem), qui — expostularent, ,cur datis nuper obsidibus redintegrataque amicitia, quae novis quoque beneficiis locum aperiret, vetere Armeniae possessione depelleretur. Ideo nondum ipsum Vologaesen commotum, quia causa, quam vi agere mallent; sin perstaretur in bello, non defore Arsacidis virtutem fortunamque saepius iam clade Romana expertam? — Hic locus, quamquam esse similis videri potest antea explicato illi (p. 25) ex hist. IV, 20, tamen ex iis, quae antecedunt, elucet, optime con-

venire, si exprimat Tiridates, se dubitare, num, (‚sin — perstetur') vel saltem exspectare, si in bello perstetur (‚sin — perstabitur'). Loco hoc (ann. XIII, 27) — ‚Si separarentur libertini, manifestam fore penuriam ingenuorum' altera illa lectio ‚si separentur', quae est in codicibus Budensi et Agricolae et in editionibus inde a Rhenano usque ad Ernestium (testibus Bekkero et Walthero), non quidem repugnat legi statutae, quum nihil impediat, quin accipiatur prius sententiarum conditionalium genus (dir.: ‚Si separantur — ,— erit.' cf. ad ann. III, 34 p. 24 ‚si — oblitterentur'). Neque vero illa lectio, quae maiore codicum auctoritate nititur, minus probanda videtur esse, seu fuit haec in directa oratione sententiae conditionalis forma ‚Si separarentur — ,— esset', quasi non possit fieri verum positum illud, seu quis malit hanc ‚Si separabuntur — ,— erit' tanquam, permittatur simpliciter tempori futuro, utrum eveniat res posita necne. Ann. XIV, 35: — ‚Si copias armatorum, si causas belli secum expenderent, vincendum illa acie vel cadendum esse.' (‚Si — expendetis, intelligetis, vincendum —'). Ann. I, 19: (Blaesus adloquitur milites seditiosos): — ‚Si tamen tenderent in pace tentare, quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditentur?' (De lectione hac ‚meditentur' cf. infra VII.) Dubitationem haud dubie Blaesus simul cum re posita exprimit de eius veritate, quum vix sit credibile, milites velle in pace tentare ea, ‚quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint.' (‚Wenn sie jedoch beabsichtigen sollten' — dir.: ‚Si tamen tendatis —'). 17: (Percennius irritat milites ad seditionem): — ‚Nec aliud malorum levamentum, quam si certis sub legibus militia iniretur.' Forma sententiae conditionalis, si in directam orationem vertitur, est haec: ‚Quam si — ineamus.' Ita significatur, rem positam cogitatione subiecti loquentis esse fictam, quae utrum fiat vera necne, pendeat quum ex aliis rebus, tum ex voluntate ipsorum militum. (— ‚als wenn wir etwa — eingin-

gen' vel ,— eingeben wollten.') Cf. c. 30: ,quam si linquerent.' — Ann. III, 6: (Tiberius) — ut premeret vulgi (de Germanici morte ac funere) sermones, monuit edicto, ,multos illustrium Romanorum ob rem publicam obisse, neminem tam flagranti studio celebratum. Idque et sibi et cunctis egregium, si modus adiiceretur.' (,wenn man dabei nur Maass halten wolle' dir.: — ,si — adiiciatur.') — Tiberius non simpliciter urget veritatem, quae nitatur nexu causali inter protasin et apodosin, sed simul significat, et nondum adiici modum et fore, ut adiiciatur, se exspectare. Ann. IV, 39: Seianus, — promissum matrimonium flagitante Livia, componit ad Caesarem codicillos: — ,Et quoniam audiverit, Augustum in collocanda filia nonnihil etiam de equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo, amicum sola necessitudinis gloria usurum.' Forma sententiae conditionalis in directam orationem mutatae est haec: — ,si (forte) — quaeratur' (— wenn etwa — gesucht werden sollte). Ita exprimitur modestia quaedam ac verecundia Seiani erga principis consilia. XI, 16: (Germani queruntur, quod Italicus, Flavii filius, Roma rex sit accitus): — ,Frustra Arminium praescribi, cuius si filius hostili in solo adultus in regnum venisset, posse extimesci (dir.: ,si — venisset, posset extimesci'). — At si paterna Italico mens esset, (dir.: — ,si — sit') non alium infensius arma contra patriam ac deos penates, quam parentem eius exercuisse.'

Minime vero repugnat legi statutae locus talis, qualis est in ann. XIV, 20: — ,vel, si vetustiora repetas, stantem populum spectavisse.' — Nam illud ,si — repetas' tanquam formulam constantem ac non mutabilem, sicut eandem personam, ita certe eundem modum in oratione obliqua retinere par erat. Neque magis impedit lex statuta, quin sententia conditionalis secundi generis accipiatur loco hist. III, 38 hoc: — ,Reddendam pro intempestiva laetitia maestam ac funebrem noctem, qua sciat ac sentiat vivere Vitellium, ac, si quid fato accidat, filium habere.' Nam hoc

loco, sicut infinitivi ‚vivere‘ et ‚habere‘, sententia conditionalis proxime pendet ex verbis ipsius concionis obliquae ‚sciat‘ ac ‚sentiat‘, quorum subiectum non est idem cum subiecto loquente. Quare ad horum tempus subiunctivus ille ‚accidat‘ referendus erat. (Cf. infra c. XIV.) — De nonnullis sententiis conditionalibus prioris generis, quae subiunctivos relativos habent in concionibus obliquis, agetur infra inter sententias causales (IX.). — Restat, ut pauca dicantur de iis sententiis conditionalibus, ubi duae (vel plures) protases particulis ‚sive — sive‘ vel ‚seu — seu‘ disiunguntur, sequente una apodosi; quo significet is, qui loquitur, utrum haec vel illa sit vera, nihil se curare, quod, veritatem apodosis quod attinet, nihil referat. Eiusmodi sententias conditionales quum in concionibus obliquis a Tacito semper subiunctivis relativis expositas reperiam, licet sint prioris generis, eam esse causam existimo, quod diversae protases, qua dictum est ratione, disiunctae iam quodammodo significant, dubitare ipsum loquentem, utra sit vera, itaque relationem ad eius praeteritam cogitationem iam magis esse in promptu. Hist. II, 24: — ‚sive finis bello venisset, seu resumere arma mallent, unicum victis in consensu levamentum.‘ IV, 49: — ‚duo itinera audendi, seu mallet statim arma, seu, petita navibus Gallia, ducem se Vitellianis exercitibus ostenderet.‘ Ann. XIV, 7. Iam pavore exanimis et ‚iam iamque affore‘ obtestans, ‚vindictae properam, sive servitia armaret, vel militem accenderet, sive ad senatum et populum pervaderet, naufragium et vulnus et interfectos amicos obiiciendo, quod contra subsidium sibi?‘ XII, 65: ‚— certam sibi perniciem seu Britannicus rerum, seu Nero poteretur.‘ (Sed hoc in directa oratione probe potest esse ‚seu — potietur‘).

VII.

Iam in fine capitis antecedentis delapsus sum ad eas concionum obliquarum sententias, quibus inest vis subiectiva, indita non sponte subiecti loquentis, sed ex ea demum ratione, qua concipiebantur mente ac iudicio narrantis. Quae in sequentibus potissimum spectabuntur. — Huc pertinent interrogationes indirectae, quae sunt interrogationes propriae ac verae ipsius subiecti loquentis. Quas semper flagitare subiunctivos relativos opinor in Taciti concionibus obliquis ex lege generali, quae statuta est. Licet enim aliae sententiae materie sua animo narrantis concepta hunc avertant ab eius persona, cuius dicta narrat, ut, quamquam obliquo dicendi genere alienas se sententias promere significat, tamen ipsam praeteritam subiecti cogitationem magis negligat, quoniam simul ex obiectis suo ipsius animo praesentibus illas haurit, hoc idem vix fieri potest in interrogationibus, quibus minus sententia de re exprimitur, sed ipsa tantum subiecti cogitatio vel dubitatio de re quadam, quam Tacitus subiunctivis relativis significat e more suo. (Etiam ceteros historicos latinos in interrogationibus indirectis concionum obliquarum inclinare ad subiunctivos relativos docet G. T. A. Krügerus l. c. §. 654.) Ad quod demonstrandum ea tantum exempla idonea sunt, ubi interrogationes indirectae non sententiarum secundariarum in modum cum ipso verbo regente sunt iunctae, quia hae iam generalibus de temporum consecutione legibus sunt obstrictae (cf. p. 2).

Ann. I, 26: Ad ea Drusus — clamore turbatur: ‚Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia?‘ (Sequuntur subiunctivi absoluti). Cf. c. 40; XI, 19; XIII, 49. 42; hist. III, 70; IV, 4. Hist. IV, 81: Vespasianus — aestimari a medicis iubet, ‚an talis caecitas ac debilitas ope humana superabiles forent.‘ — Hoc loco quamquam interrogatio indirecta proxime pendet ex infinitivo ‚aestimare‘, tamen

exprimit, quid ipse Vespasianus, qui aestimari iubet, quaerat. Similis est ratio exempli huius (ann. XIII, 6): — ‚Daturum plane documentum, honestis an secus amicis uteretur —‘ (dir: ‚Dabit plane documentum‘ (nobis), quod fere idem est ac ‚videbimus, an — utatur‘). III, 12: — Caesar orationem habuit: — ‚Illic contumacia et certaminibus asperasset iuvenem exituque eius laetatus esset, an scelere exstinxisset, integris animis diiudicandum‘ (diiudicare debemus).

Sed exempla, qualia sunt haec duo, quae sequuntur, huc non pertinent: Ann. XV, 27: ‚Scire se, quantum intus discordiarum, quamque indomitas et praeferoces nationes regeret.‘ Hist. IV, 8: — ‚Se meminisse temporum, quibus natus sit, quam civitatis formam patres avique instituerint.‘ In his quamquam est forma interrogationum indirectarum, tamen non revera is, qui loquitur interrogat, sed significat potius, scire se aliquam rem. Quae ubi erat vera ac narranti quoque nota, huius animo simul obversari in eiusque cogitationis tempus transferri poterat; id quod factum est in posteriori hoc exemplo.

Sed quid putandum est de loco hoc (ann. I, 19): — ‚Si tamen tenderent in pace tentare, quae ne civilium quidem bellorum victores expostulaverint, cur contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditentur?‘ — Hic locus sane adversari videtur sententiae antea propositae et Taciteo mori loquendi. Possit quidem dici, affirmari hoc loco potius aliquid (‚contra morem obsequii, contra fas disciplinae vim meditamini‘), quam interrogari. Quam affirmationem, sicut alias quoque fecit, scriptorem potuisse referre subiunctivo absoluto pro obiective vera, quam ipse simul, quodammodo assentiens ei, sua ipsius cogitatione praesente conceperit ex eaque retulerit. Sed haud dubie interrogatio illa e natura sua eo spectat, ut ipsius loquentis persona, militum seditiosorum ferociam mirans atque indignans, ostendatur potius, quam nudae res, de quibus loquebatur, proponantur sine relatione aperta ad ipsius praeteritam

cogitationem. Quare vix dubitem, quin corruptum esse putem locum eadem fere ratione, atque supra complures vidimus (p. 14). Argumento, quo haec coniectura comprobetur, ex rei natura, tot exemplorum constantia, aliquot corruptelarum similitudine petito addam etiam, quod probabilitatis speciem afferat, hoc: Etiam in iis interrogationibus indirectis, quae ex verbo praesentis historici artissime pendent, Tacitus subiunctivos relativos adhibere solitus est, quod testimonio est, eum in illis nunquam non respexisse ipsum subiectum loquens eiusque cogitationis verum tempus. Exempla ubique occurrunt. Ex multis afferam pauca: Ann. VI, 21: Thrasullus interrogatur, ‚an suam quoque genitalem horam comperisset; quem tum annum, qualem diem haberet?' III, 16: Caesar — exquirit, ‚qualem Piso diem supremum exegisset?' XI, 30: Simul Cleopatram, ‚an comperisset', interrogat. Cf. XV, 55. 61. Unum tantum locum novi, ubi forma illa temporis extranea in interrogatione indirecta valuit. Hist. IV, 82: Percunctatur sacerdotes, ‚num illo die Basilides templum inisset?' percunctatur obvios, ‚num in urbe visus sit?'

VIII.

Ceteras concionum obliquarum sententias quod attinet, secundum legem generalem, quam a Tacito observatam esse statui, hic primum quidem subiunctivos relativos adhibuit in omnibus iis, quas, tum quod nituntur in rebus praeteritis, quae scriptori non simul notae eiusque cogitationi praesentes erant, vel in peculiari, qua subiectum loquens iudicabat de rebus, ratione, tum quod simulabantur tantum ab illo, ut obiective veras et sua ipsius mente simul conceptas referre non potuit. Deinde in iis quoque, in quibus, licet obiective veras eas agnoverit Tacitus, tamen, ut per-

spicue ipsius subjecti, cuius dicta narrat, appareat cogitatio, refert. —

Prioris generis sunt exempla haec: Ann. III, 33: — ‚Cogitarent ipsi, quotiens repetundarum aliqui arguerentur, plura uxoribus obiectari.‘ Ipso illo ‚cogitarent ipsi‘ convertuntur audientium animi ad exempla loquentis tempore vulgata, ex quibus velut sua ipsius rerum experientia subiectum loquens sententiam hausit. Quodsi scripsisset Tacitus ‚quotiens — arguantur‘ tum simul assentiri videretur sententiae suomet animo conceptae ex sua rerum experientia, id quod propter antecedens illud ‚cogitarent ipsi‘ minus aptum erat. (Cf. ann. III, 69: — ‚Minui iura, quotiens gliscat potestas —.‘) XIV, 52: — ‚Nam oblectamentis principis palam iniquum (Senecam), detrectare vim eius (Neronis) equos regentis, illudere voces, quotiens caneret.‘ III, 33: ‚— pervicacibus magis et impotentibus mulierum iussis, quae Oppiis quondam aliisque legibus constrictae, nunc vinclis exsolutis, domos, fora, iam et exercitus regerent.‘ Hist. I, 62: — ‚Nihil in discordiis civilibus festinatione tutius, ubi facto magis, quam consulto opus esset.‘ Exprimitur hic subiectiva militum festinantium opinio, qua Vitellium cunctantem ad strenue agendum exstimulant. Similis est locus in ann. XV, 59. Sed diversus est locus hic hist. 1, 21: ‚— nec cunctatione opus, ubi perniciosior sit quies, quam temeritas.‘ Hoc enim loco non ut illo sententia relativa contenditur aliquid, sed explicatur tantum, quae subaudiatur in sententia primaria particula demonstrativa ‚ibi‘. (Cf. c. XI s. f.) Hist. IV, 57: Civilis et Classicus misere ad Cerialem epistolas: — ‚Vespasianum, quamquam nuntios occultarent, excessisse vita.‘ Falsa erat Civilis et Classici opinio. Neque enim occultabantur nuntii de Vespasiani excessu, quia nondum vita excesserat. Ann. XIII, 37: (Tiridates — mittebat oratores (ad Corbulonem), qui suo Parthorumque nomine expostularent, cur datis nuper obsidibus — vetere Armeniae possessione depelleretur): ‚Ideo nondum Vologaesen commotum (‚zum Feldzug aufgebrochen‘

Nipperd.), quia causa quam vi agere mallent.' Num revera Parthi causa quam vi agere maluerint, eo quod subiunctivo relativo subiectiva tantum sententiae vis inditur, iure relinquitur in dubio. Ann. XII, 5: Vitellius — orditur ,gravissimos principis labores, quis orbem terrae capessat, egere adminiculis, ut domestica cura vacuus in commune consulat. Quod porro honestius censoriae mentis levamentum, quam assumere coniugem prosperis dubiisque sociam, cui cogitationes intimas, cui parvos liberos tradat, non luxui aut voluptatibus assuefactus, sed qui prima ab iuventa legibus obtemperavisset.' — Iis, quae initio de principe in universum (non de ipso Claudio, quamquam ad hunc ea maxime referri vult Vitellius,) dicuntur, veritatem obiectivam nemo denegarit; ibi igitur subiunctivi absoluti bene se habent, qui ut adhiberentur, verbi regentis praesens historicum quoque nonnihil valuisse haud negarim. Sed ubi aperte ad solum ipsum Claudium transitur, fictam adulationem significat scriptor subiunctivo relativo, quo ex subiectiva Vitellii cogitatione sententia repetitur. XVI, 1: Illusit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius et promissa Caeselli Bassi, qui — expromit, ,repertum in agro suo specum altitudine immensa, quo magna vis auri contineretur.' — Sicut iam ea, quae antecedunt, ostendunt, non verum illud, sed fictum erat a Basso.

Prioris eiusdem generis sunt eae quoque sententiae finales, quibus subiectum loquens actioni alienae, ex sua ipsius, qua de ea iudicat, ratione attribuit consilium, quod non per se ac necessario illi inesse, scriptor subiunctivo relativo significat. Ann. XIII, 38: (Mille equitum Tiridates affore sibi dicebat; quantum Corbuloni cuiusque generis militum assisteret, non statuere, dum positis loricis et galeis in faciem pacis veniretur.) Cuicunque mortalium nedum veteri et provido duci barbarae astutiae patuissent: ,Ideo artum inde numerum finiri, hinc maiorem offerri, ut dolus pararetur.' Subiunctivo relativo Tacitus significat ipsius subiecti loquentis de consilio Tiridatis coniecturam. Agri-

cola 15: — Britanni agitare inter se mala servitutis, conferre iniurias et interpretando accendere: — ,Singulos sibi olim reges fuisse, nunc binos imponi; e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret' (,von denen — wüthen solle'). Exprimitur sententia relativa consilium, quod instituto illi Romanorum attribuunt Britanni ex sua interpretatione. Hoc ipsum illud, quod vocibus Britannorum praemisit scriptor ,interpretando accendere', videtur spectare. Praeterea haec explicatio cum totius loci ratione optime convenit; qui id sequitur, ut odium atque acerbitatem contra Romanos ostendat et excitet. Id vero quod attinet, instituta Romanorum interpretari ita, quasi sequantur consilium vexandi Britannos, multo efficacius est, quam simpliciter affirmare ipsam rem, vexari Britannos institutis illis. Iam nihil aliud sensisse video Car. Wexium, qui in sua Agricolae editione ad hunc locum adnotat: ,Alterum ut saeviret, quia acerbius dictum, praefero.' Male igitur Ernestius coniicit accusativum cum infinitivo ,e quibus legatos — saevire', ,quia', inquit, ,si nominativi essent veri, deberet esse non ,saeviret' sed ,saeviat'. Haud dubie virum doctum, ut ita putaret, adduxerunt subiunctivi absoluti et antecedentes et sequentes. Conferatur, si libet, Waltheri ad hunc locum adnotatio; quamquam fallitur eo, quod putat, subiunctivum relativum ,saeviret' sine notione consilii, sicut a Walchio intelligatur, repugnare latinitatis legibus. Immo ex totius loci ratione, seu quis notionem consilii accipit, seu reiicit, subiunctivus relativus recte se habet, et eo significat scriptor vim sententiae subiectivam.

IX.

Refert, ut ipsius subjecti loquentis praeterita cogitatio appareat, licet id, quod dixit, sit obiective verum, ubi senten-

tentia, quae adiuncta est sententiae primariae coniunctione causali, non simpliciter loquens exprimit rei, de qua loquitur, causam efficientem, sed causam aut logicam aut moventem, quae scilicet illum ipsum, ut aut ita putaret aut ita faceret, adduxit. In eiusmodi enim sententiis magis est agens subiecti loquentis mens atque animus, reputans de re, a qua causam repetit, id quod exprimit Tacitus in concionibus obliquis ita, ut subiunctivis relativis relatio sententiae ad eius, cuius dicta narrat, praeteritam cogitationem, perspicua sit. Ann. XV, 62: (Seneca) interritus poscit testamenti tabulas; ac, denegante centurione, conversus ad amicos, ,quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat, imaginem vitae suae relinquere testatur —'. Ann. VI, 48: Arruntius (quum maiestatis accusatus mortem sibi conscire vellet) cunctationem et moras suadentibus amicis, non eadem omnibus decora respondit: ,Sibi satis aetatis, neque aliud paenitendum, quam quod inter ludibria et pericula anxiam senectam toleravisset, diu Seiano, nunc Macroni, semper alicui potentium invisus, non culpa, sed ut flagitiorum impatiens.' — Sed hunc locum quod attinet, id quoque notandum videtur, magis referre hic, ut ad ipsum viri animum nobilem doloremque, qui illa eius sententia appareat, nos vertamus, quam ad sententiae materiem; quod eo magis opinor valuisse, ut subiunctivum relativum adhiberet scriptor, quod subiunctivo absoluto deinceps ad afferendam sententiae subiecti causam logicam utitur, ut res, quae significetur obiective vera, appareat. (,An, cum Tiberius post tantam rerum experientiam vi dominationis convulsus et mutatus sit, Gaium Caesarem vix finita pueritia, ignarum omnium aut pessimis innutritum, meliora capessiturum Macrone duce?') XI, 17: ,Non enim irrupisse ad invitos, sed accitum' memorabat (Italicus), ,quando nobilitate ceteros anteiret. — — Nec patrem rubori, quod fidem adversus Romanos volentibus Germanis sumptam nunquam omisisset.' — Posterius hoc exprimit aliquid, quod ipsi subiecto loquenti est causa movens. Prius vero

illud quamquam nihil exprimere videtur nisi causam actionis alienae, tamen subiunctivo relativo ad ipsius subiecti loquentis animum convertimur reputantem simul de eo, quod ceteros anteiret, et hoc quasi argumento (causa logica) ius suum probantem. (‚Denn nicht habe ich mich ihnen aufgezwungen, sondern bin von ihnen berufen (und das mit Recht), weil ich ja an edler Geburt die Andern überrage.‘) Ann. XVI, 29: (Queruntur de Neronis saevitia, qua tot probis ac innocentibus viris quaesitis criminibus interitus parabatur): ‚Quid Agrippino obiectum nisi tristem patris fortunam, quando et ille perinde innocens Tiberii saevitia concidisset?‘ Subiectum loquens et causam moventem quodammodo indignationis suae, qua se affectum esse totius sententiae ratione ostendit, affert et causam logicam eius, quod sententia primaria affirmat. Deinceps in eadem concione obliqua sequitur hoc: ‚Enimvero Montanum probae iuventae neque famosi carminis, quia protulerit ingenium, extorrem agi.‘ — Discrimen inter vim subiunctivi absoluti huius et relativi illius unusquisque sentiet. Hic simpliciter facto adnectitur causa vera, et nexus causalis neque iudicio neque voluntate subiecti loquentis statutus, sed ipsis obiectis datus est. XII, 6: (Vitellius agit apud senatum de maritando rursus Claudio): Postquam haec favorabili oratione praemisit multaque patrum assentatio sequebatur, capto rursus initio, ‚quando maritandum principem cuncti suaderent (causa logica), deligi oportere feminam nobilitate, puerperiis, sanctimonia insignem.‘ Hist. IV, 85: Mucianus, quod diu occultaverat, ut recens exprompsit: ‚Quoniam benignitate deum fractae vires hostium forent, parum decore Domitianum, confecto prope bello, alienae gloriae interventurum.‘ Ann. II, 26: Sed crebris epistolis Tiberius monebat (Germanicum), rediret ad decretum triumphum: — ‚Posse et Cheruscos ceterasque rebellium gentes, quando romanae ultioni consultum esset, internis discordiis relinqui.‘ — Ita haud dubie cum Murcto legendum pro corruptela, quae est in codice Mediceo ‚est‘, quam Waltherus

contra Ernestium et, qui eum sequuntur, reliquos editores defendere studet. Sed indicativus si esset verus, plusquamperfecto ‚consultum erat', non perfecto ‚consultum est' esset opus, ut referatur res praeterita ad tempus scriptori praeteritum. Ubi enim indicativum modum habet sententia concionis obliquae, haec, licet sit eius, cuius dicta narrantur, tamen narrantis simul fit propria, tempusque igitur quod attinet, huic, non subiecto loquenti accommodare se debet. Ubi vero servatum videtur tempus ex ipsis directis verbis subiecti loquentis, ibi aut nititur hoc in ipsius sententiae natura, quae narrantis aeque ac loquentis tempore valet, aut narratur praesenti historico. Formulae tantum solennes ac constantes in concionibus obliquis repeti possunt ita, ut verba directa loquentis nihil mutentur. (Cf. supra p. 29 ‚si repetas'.) His vero sententiae ordientes a particula temporali ‚dum' (während) similes sunt eo, quod indicativum praesentis, constanti quodam usu in iis adhibere solitum in directa oratione, in indirecta quoque retinent; id quod apud Tacitum etiam maiore constantia fit, quam apud ceteros scriptores. Exempla horum, quae exposui, collecta videas apud Ramsh. l. c. §. 195 b, c, qui tamen hanc quoque corruptelam pro exemplo attulit, non animadvertens, quantopere hic locus differat a ceteris. Ex iis, quae Waltherus ad defendendam codicis lectionem affert exemplis, unus ille locus ex ann. XVI, 1 esset aptus, qui cum hoc compararetur: — ‚Ceterum, ut coniectura demonstrat, Dido Phoenissam — illas opes abdidisse.' — Sed illud ‚ut demonstrat' non esse partem orationis obliquae, sed a scriptore parenthesis loco additum, Nipperdeius demonstravit, qui explicat non ut ceteri ‚wie die Vermuthung zeige', sed ita ‚wie er vermuthungsweise nachweist'. Hoc igitur loco ut Freinshemii (‚demonstret') et Ernestii (‚demonstraret') coniecturae sunt supervacaneae, ita illo loco, de quo agitur, emendatio ‚esset' est necessaria. (Cf. similes corruptelae collatae ad ann. I, 19 p. 33). Praeterea subiunctivus relativus aptissimus est hoc loco, non solum, quia additur causa

logica sententiae, sed etiam quia per se iam sententia illa causalis, quippe quae simulatam a Tiberio, non veram causam contineat, cur Germanicum revocarit, melius ex sola ipsius subiecti loquentis praeterita cogitatione refertur. —

Huc pertinent etiam nonnulla exempla, ubi in sententiis conditionalibus prioris generis subiunctivi relativi adhibiti sunt in concionibus obliquis. Eiusmodi sententiae forma tantum sunt conditionales, revera causales. Ann. III, 58: — ‚neque aliud ius suum, quam Martialium Quirinaliumque flaminum; porro si hi duxissent provincias, cur Dialibus id vetitum?‘ Hist. IV, 4: ‚Si privatus esset Mucianus, cur publice loqueretur?‘ Facile intelligitur, proprie nihil nisi causam logicam his sententiis conditionalibus addi sententiis primariis; ita ut particula conditionalis ‚si‘ hic eandem fere vim habeat ac causalis ‚quum‘. Cf. ann. XIII, 49. (Particulae ‚si‘ notio qua ratione transire potuerit in vim mere causalem, exposuit G. T. A. Krügerus l. c. p. 815 adn. 2; Reisigius l. c. §. 264.) Huc referam illum quoque locum ex ann. XIV, 1: (Poppaea queritur): — ‚Quodsi nurum Agrippina nonnisi filio infestam ferre posset, redderetur ipsa Othonis coniugio.‘ Illud ‚quodsi‘ proprie nihil aliud est nisi ‚(quod) quoniam‘ et sententia, forma tantum conditionalis, revera exprimit causam moventem, cur reddi se Othonis coniugio velit Poppaea. Vis illa mere causalis, quae hic insit in particula ‚si‘, etiam facilius intelligitur propter praefixam ei vocem ‚quod‘, qua concludi videtur hoc loco veritas sententiae ex iis, quae antecedunt. (‚Wenn demnach‘ = ‚weil demnach‘). Iam cur sententia haec ‚Agrippinam nurum nonnisi filio infestam ferre posse‘ artius iungeretur subiunctivo relativo cum subiecti loquentis cogitatione, accessit, quod pro obiective vera vix eam referre poterat Tacitus. —

Subiunctivis absolutis utitur Tacitus in iis sententiis causalibus, in quibus, licet eadem ratione qua in antecedentibus subiunctivos relativos adhibere potuerit, tamen magis eius interest, ut ipsa res obiective vera appareat, quam

respiciatur ea mentis actio, qua subiectum loquens ex re illa vera causam logicam, cur ita putaret, vel moventem, cur ita faceret, sumpsit. Cf. praeter duo illa exempla, quae iam cum ante allatis locis comparavi, ann. XIII, 6; XIV, 20; XV, 17; II, 46; III, 47; IV, 39.

Semper subiunctivos absolutos a Tacito adhibitos reperio in iis sententiis causalibus, quibus causa posita in re vera, non cur aut ita putaverit aut ita fecerit subiectum, sed seu efficiens rei, seu movens actionis alienae refertur. Ann. III, 69: — ,Ideo leges in facta constitui, quia futura in incerto sint.' 34: — ,Placuisse quondam Oppias leges sic temporibus reipublicae postulantibus; remissum aliquid postea, quia expedierit.' XIV, 61: (Poppaea de vulgi in Octaviam studiis et in se ira queritur): — ,Quod alioquin suum delictum? Quam cuiusquam offensionem? An quia veram progeniem penatibus Caesarum datura sit?' Hist. II, 32: Suetonius Paullinus — festinationem hostibus, moram ipsis utilem disseruit: — ,nec multum virium a tergo, quoniam Galliae tumeant, et deserere Rhenum irrupturis tam infestis nationibus non conducat.' Hist. IV, 72: Cerialis postero die coloniam Treverorum ingressus est, avido milite eruendae civitatis: — ,Quid tantum Cremonam meruisse, quam e gremio Italiae raptam, quia unius noctis moram victoribus attulerit?' Ann. XI, 15: (Retulit ad senatum Claudius de collegio haruspicum): ,Saepe adversis rei publicae temporibus accitos, quorum monitu redintegratas caerimonias et in posterum rectius habitas; primoresque Etruriae sponte aut patrum romanorum impulsu retinuisse scientiam et in familias propagasse; quod nunc segnius fieri publica circa bonas artes socordia et quia externae superstitiones v a l e s c a n t.'

X.

Sententias temporales ac relativas, licet rebus veris nitantur, subiunctivis relativis magis perspicue ad ipsam cogitationem subiecti loquentis referre solet Tacitus ibi, ubi spectat animi quendam affectum vel rationem ac consilium, quo illae enuntiabantur; maxime tum, quum subiectum loquens nexum causalem, quem particula causali non significavit, statuit inter has sententias earumque primarias cogitatione sua. Ann. XIV, 52: Obiiciebant etiam, ‚eloquentiae laudem uni sibi asciscere, postquam (et quia) Neroni amor eorum venisset.' (De subiunctivis absolutis in sententiis temporalibus cf. c. XI s. f.) Ann. XIV, 61: (Poppaea irritare vult Neronis iram adversus Octaviam): ‚— omitteret modo Campaniam et in urbem pergeret (Octavia), ad cuius nutum absentis tumultus cierentur' (cuius = quum ad eius ‚auf deren Wink ja' —). XVI, 22: (Capito Cossutianus vult excitare principis patrumque contra Thraseam invidiam): ‚— principio anni vitare Thraseam solenne ius iurandum; nuncupationibus votorum non adesse, quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditum; nunquam pro salute principis aut caelesti voce immolavisse; adsiduum olim et indefessum, qui (er, der ja) volgaribus quoque patrum consultis semet fautorem aut adversarium ostenderet.' Cf. ann. XVI, 26. 28. hist. IV, 20. Hist. III, 66: (Voces hortantium Vitellium ad pericula ac fortidudinem): — ‚Denique, ut (quia ita ‚wie ja') censuram patris, ut tres consulatus, ut tot egregiae domus honores deceret, desperatione saltem in audaciam accingeretur.' Agric. 15: — ‚Iam Britannorum etiam deos misereri, qui (‚quum ii', ‚die ja') romanum ducem absentem, qui relegatum in alia insula exercitum detinerent.' In eadem concione obliqua antecedunt haec: Recessuros (Romanos), ut divus Iulius recessisset, modo virtutem maiorum aemularentur.' — Subiunctivo relativo ‚recessisset', quo prorsus refertur sententia ad ipsorum loquentium cogitationem praeteritam, quamquam continet fa-

ctum ex rerum historia notum, magis perspicue exprimitur ipsa illorum de facto hoc reputatio, ex qua altiores sibi spiritus sumant atque ad spem, etiam tunc se depulsuros esse Romanos, mutuo se erigant (ut = wie ja auch). Huic explicationi non quidem conveniunt illa, quibus Waltherus Engelium offensione, quod divus dicatur Iulius ab ore hostium, liberare vult, quum dicit: ,Nimirum haec non sunt ipsa hostium verba et, quomodo ex hostium ore proficiscebantur, posita, sed oratione obliqua e scriptoris sententia atque ore dicta.' Haec viri docti de attributo illo ,divus' explicatio si esset necessaria, locus desideraret subiunctivum absolutum ex lege hucusque probata (cf. etiam c. XI.). Sed minime est necessaria; immo ipsum illud ,divus' ex hostium ore profectum confert aliquantum ad augendam vim sententiae et comprobandum subiunctivum relativum. Ita enim secum reputant Britanni: ,Si ipse Iulius ille divus (cum acerba cavillatione dictum cf. Wexius ad h. l.) recessit, quanto facilius legatos hos (qui non sunt divi.) depellemus. Ann. IV, 70: (Sabinus calendis Ianuariis damnatus trahitur. De hac re vulgi questus occulti): ,Quem enim diem vacuum poena, ubi inter sacra et vota, quo tempore (zu welcher Zeit doch) verbis etiam profanis abstinere mos esset, vincla et laqueus inducantur?' Hoc loco quum sententia ,ubi inducantur' urgetur solum factum illud narrantis simul animo obversans, quod rei sententia primaria expressae quodammodo est causa efficiens ,Nullus iam dies vacuus est poena eo, quod — inducuntur.'), in illa sententia ,quo — esset' subiunctivo relativo apparent ipsi loquentium animi etiam magis indignantes ,calendis Ianuariis vincla et laqueum induci, quod illo tempore verbis etiam profanis abstinere mos esset.' Cf. simillimus ille locus ann. III, 36. Ann. III, 5: (Queruntur de Germanici funere parum solenniter acto): — ,Sane corpus ob longinquitatem itinerum quoquo modo crematum: sed tanto plura decora mox tribui par fuisse, quanto prima fors negavisset.' — Subiunctivo relativo ,negavisset' efficitur, ut non simpliciter sen-

tentiae materies a narrante concepta reddatur, sed affectus simul atque miseratio, quacum a subiecto sententia pronunciabatur, ex ipsius animo repetatur. Simili ratione subiunctivus relativus adhibitus est, ut iactatio, qua subiectum sententiam eloquebatur, simul exprimatur, loco hoc hist. III, 53: (Antonius) litteras ad Vespasianum composuit iactantius quam ad principem, nec sine occulta in Mucianum insectatione: — ‚Quod discordes dispersasque Vitellii legiones equestri procella, mox peditum vi per diem noctemque fudisset, id pulcherrimum et sui operis.' Indignatio subiecti loquentis significatur subiunctivo relativo in exemplo hoc ann. XV, 19: Magna cum invidia senatum adeunt; —: — ‚Satis pretii esse orbis, quod multa securitate, nullis oneribus, gratiam, honores, cuncta prompta et obvia haberent.' Ratio ac consilium, qua subiectum ad assequendum, quem orationi suae proposuit, finem sententiam eloquebatur, maxime respici videtur locis his: Hist. III, 24: (Antonius militum animos accendere vult ad fortiter pugnandum): — ‚Illos esse campos, in quibus abolere labem prioris ignominiae, ubi recuperare gloriam possent.' Ann. XIV, 36: Suetonius — exhortationes et preces miscebat, ut spernerent sonores barbarorum et inanes minas: — ‚Etiam in multis legionibus paucos, qui profligarent.' Hist. IV, 8: (Marcellus comprobare vult sententiam suam, sorte eligi oportere legatos, qui ad principem mittantur): ‚— non suam, sententiam impugnari, sed consulem designatum censuisse' dicebat, ‚secundum vetera exempla, quae sortem legationibus posuissent, ne ambitioni aut inimicitiis locus foret'. Sed hoc loco haud negaverim, etiam interpositum illud ‚dicebat' (er sagte, wiederholte öfter), quo vehementius ad ipsum subiectum loquens vertitur animus, aliquantum valuisse, ut pro propria ipsius referatur sententia subiunctivo relativo. Cf. ann. III, 33: — multum ante repetito — ‚seque, quae in publicum statueret, domi servavisse cohibita intra Italiam (uxore), quamquam ipse pluris per provincias quadraginta stipendia explevisset.'

XI.

Iam quum diversas rationes, quibus subiunctivus relativus significet ipsam eius, cuius dicta narrantur, cogitationem, pertractaverim, oppositis passim atque explicatis exemplis, quibus obiectiva vis subiunctivi absoluti illustretur, pauca tantum de hoc addam. — Maxime constans est subiunctivi absoluti usus in iis sententiis, quae generalioris sunt naturae, ita ut non rebus quibusdam certis, quae subiecto loquenti soli erant praesentes, nitantur, sed quoque tempore (vel saltem scriptoris aetate) per se sint verae. Ann. III, 69: ‚— minui iura, quotiens gliscat potestas, nec utendum imperio, ubi legibus agi possit.' I, 10: — ‚Sane Cassii et Brutorum exitus paternis inimicitiis datos, quamquam fas sit, privata odia publicis utilitatibus remittere.' XIV, 57: ‚— assumpta etiam stoicorum arrogantia sectaque, quae turbidos et negotiorum adpetentes faciat.' XV, 59: ‚— multa experiendo confieri, quae segnibus ardua videantur.' IV, 52: — ‚Suum cuique sanguinem indiscretum, sed maxime principibus, quorum prosperis et alii fruantur, adversa ad iunctissimos pertineant.' Cf. ann. III, 33. 36; XII, 6. 10. 19; XIII, 43; XIV, 57; XV, 59; hist. I, 21; II, 74; IV, 14. 76.

Subiunctivi absoluti adhibentur a Tacito in iis sententiis relativis, quae nituntur rebus veris ac factis, praecipue, si hae ex rerum historia notae sunt; excipiuntur, quae iam in antecedentibus explicata sunt exempla, ubi alia quaedam ratio, ut subiecti loquentis animum ac cogitationem potius, quam nudum sententiae obiectum ostenderet, scriptorem adduxit. Ann. XI, 23: (Impugnatur rogatio primorum Galliae comatae, qui ius adipiscendorum in urbe honorum expetebant): — ‚Quin adhuc memorari exempla, quae priscis moribus ad virtutem et gloriam romana indoles prodiderit. An parum, quod Veneti et Insubres curiam inruperint? — Oppleturos omnia divites illos, quorum avi proa-

vique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro vique ceciderint, divum Iulium apud Alesiam obsederint (cf. Caes. b. G. VII, 68.). — Quid si memoria eorum oreretur, qui Capitolio et arce romana manibias deorum (Nipperd.) deripere conati sint.' Hist. III, 2: — ,Quin potius eo ipso uterentur, quod pannonicae legiones, deceptae magis quam victae, resurgere in ultionem properent (cf. II, 86), moesici exercitus integras vires attulerint.' Cf. ann. I, 17; III, 6; II, 45; XIV, 21; hist. IV, 7. 8. 17. 75; II, 32; V, 24. Ann. XIV, 20: (Queruntur de quinquennali ludicro Romae a Tiberio instituto ad morem graeci certaminis): ,— abolitos paulatim patrios mores funditus everti per accitam lasciviam — principe et senatu auctoribus, qui non modo licentiam vitiis permiserint, sed vim adhibeant, ut proceres romani specie orationum et carminum polluantur.' (In hoc exemplo pro subiunctivis absolutis aequo iure relativos adhibere poterat scriptor, si significare volebat nexum causalem (qui = quum ii), quo subiectum loquens cogitatione sua sententiam relativam cum primaria iunxisset cf. c. XI.) Ann. II, 15: Nec Arminius aut ceteri Germanorum proceres omittebant suos quisque testari: ,Hos esse Romanos Variani exercitus fugacissimos, qui ne bellum tolerarent, seditionem induerint; quorum pars onusta vulneribus terga, pars fluctibus et procellis fractos artus infensis rursum hostibus, adversis dis obiiciant.' Etiam hoc loco subiunctivi relativi bene convenirent, et maxime quidem posteriori huic sententiae. Neque vero subiunctivus absolutus non est aptus, quum satis probetur sententia ipsis factis ex Taciti annalibus notis; quare licebat, subiunctivo absoluto laxare vim subiectivae cogitationis. XIV, 61: (Poppaea queritur de tumultu contra ipsam orto): ,— vitam ipsam in extremum adductam a clientelis et servitiis Octaviae, quae plebis sibi nomen indiderint, ea in pace ausi, quae vix bello evenirent.' Licet illud, quod clientelis et servitiis Octaviae tumultum illum adsignat Poppaea, ficta ipsius sit interpretatio, subiunctivo absoluto urgetur a narrante res

ipsa vera, qua sententia relativa nititur, quod plebis certe nomine facta erant, quae evenerant.

Ann. XV, 62: Seneca — conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam prohiberetur, quod unum iam et tamen pulcherrimum, habeat, imaginem vitae relinquere testatur, ,cuius si memores essent bonarum artium, faman constantis amicitiae laturos'. Ernestio quidem non placet illud ,habeat', pro quo ,habebat' scripsit, et quia deberet esse ,haberet' et quia iactantius foret in ore Senecae hoc dictum. Verum hoc opprobrio liberare videtur clarissimum philosophum Tacitus ipso subiunctivo absoluto, quo se quidem in hac illius sententia non subiectivam quandam cogitationem vel iactationem vel aliquid simile, sed nihil nisi rem obiective veram vidisse testatur. Praeterea si hoc Senecae verbum iactantius erat, cur non item cetera ,imaginem vitae relinquere' testatur, ,cuius si memores essent bonarum artium —'? Subiunctivi absoluti usurpantur a Tacito maxime in iis sententiis relativis, quibus minus novi aliquid contenditur a subiecto, quam aut qualitas rei indefinitae describitur aut explicatur vel definitur una aliqua sententiae primariae vox, aut circumscribitur nominis notio. Ann. IV, 17: ,— esse, qui se partium Agrippinae vocent —'. XIV, 52 — ,Quem ad finem nihil in republica clarum fore, quod non ab illo reperiri credatur?' XI, 61 — ,Adeo neminem isdem in terris ortum, qui principem locum impleat —'. XIII, 26: — ,Tribuendum aliquod telum, quod sperni nequeat —'. In hoc sequenti vero exemplo non ut in antecedentibus sententia relativa sola qualitas, qua subiectum indefinitum sententiae primariae cogitandum sit, definitur, sed significatur subiecti loquentis cogitatio de eo, quod futurum sit (cf. c. V): Ann. XV, 59: — ,Venturos, qui ipsum quoque vincirent, postremo indigna nece afficerent.' (Es würden kommen, die ihn auch fesseln und zuletzt auf schmähliche Weise umbringen würden.) Ann. XIII, 26 ,— nec grave manumissis per idem obsequium retinendi libertatem, per quod assecuti sint.' III, 69: — ,Multos in provincia contra,

quam spes aut metus de illis fuerit, egisse.' Ann. III, 5: — ,Cuncta a maioribus reperta aut, quae posteri invenerint, cumulata.' XII, 6: ,— fore hoc quoque in iis, quae mox usurpentur' (— auch Dieses werde unter dem bald Gebräuchlichen sein). Agr. 15: — ,In proeliis fortiorem esse, qui spoliet.' Cf. ann. XVI, 26; hist. IV, 8. 76; V, 17.

Tempus definiri solet re facta aut saltem pro certa atque haud dubia posita. Quare in sententiis mere temporalibus, imprimis quae ordiuntur a coniunctionibus ,postquam' ,ubi' similibusque, Tacitus subiunctivos absolutos adhibere solet in concionibus obliquis. Etiam, ubi sermo est de re nondum facta, sed futura, post eas, quas dixi coniunctiones coniunctivus perfecti plerumque ponitur, quocum tempore in universum solent iungi. Ann. II, 15: — ,Sed ubi miscuerint manus inane victis ventorum remorumque subsidium.' XIV, 11: Adiiciebat crimina longius repetita, quod consortium imperii — speravisset, ac postquam, frustra optata sint, — dissuasisset donativum —'. Hist. III, 66: ,— ubi imperium Vespasianus invaserit' non ipsi — securitatem, nisi exstincto aemulatu, redituram.' IV, 55: — ,Nunc hostes, quia molle servitium, cum (sobald) spoliati exutique fuerint, amicos fore.' Ann. XV, 11: ,— se fidem interim, donec vita suppeditet, retenturos.' 64: — non defuere, qui crederent ,donec implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis petivisse —'. Hist. IV, 17: — ,Dum alii Vespasianum, alii Vitellium foveant, patere locum adversus utrumque (dum = so lange). Cf. Hist. I, 17; IV, 14. 76.

XII.

Si sententia aliqua concionis obliquae secundaria proxime pendet ex verbo sententiae suae primariae, eo facilius relatione ad praeteritum, ex quo dicta traduntur, tempus carere possunt, quod iam habent, ad quod prius referantur. Quare subiunctivi absoluti apud Tacitum in eius modi sententiis concionum obliquarum usitatissimi sunt. Qualia exempla sint excipienda, maximam quidem partem iam ex antecedentibus liquet. (Cf. p. 16. 31. 32). Ann. IV, 70: (Sabinus calendis Ianuariis damnatus trahebatur): — ,Quaesitum meditatumque, ne quid impedire credatur, quominus novi magistratus, quomodo delubra et altaria, sic carcerem recludant.' Subiunctivo absoluto ,credatur' sententia illa finalis induit speciem, quasi consilium illud non ex subiecti loquentis interpretatione suppositum, sed cum ipsa sententiae primariae natura sit iunctum (cf. p. 35—36). XII, 10: (Parthi queruntur apud senatum de Gotarzis regis crudelitate): — ,Iam fratres, iam propinquos, iam longius sitos caedibus exhaustos; adiici coniuges gravidas, liberos parvos, dum socors domi, bellis infaustus ignaviam saevitia tegat' (dum = wenn nur, damit nur). Cf. XIV, 20. Hist. IV, 7: — ,Pertinere ad Vespasiani honorem, occurrere illi, quos innocentissimos senatus habeat, qui honestis sermonibus aures principis imbuant. — Hoc senatus iudicio velut admoneri principem, quos probet, quos reformidet.' Ann. III, 63: Consules — retulerunt: ,— ceteros obscuris ob vetustatem initiis niti. Nam Zmyrnaeos oraculum Apollinis, cuius imperio Stratonicidi Veneri templum dicaverint; Tenios eiusdem carmen referre, quo sacrare Neptuni effigiem aedemque iussi sint.' XIV, 1: — ,Timeri, ne uxor saltem iniurias patrum, iras populi adversus superbiam avaritiamque matris aperiat.' 20: — ,Quid superesse, nisi ut corpora quoque nudent et caestus assumant easque pugnas pro militia et armis meditentur?' IV. 7: — ,Et quan-

tum superesse, ut collega dicatur (Seianus)?‘ Cf. III, 69; XIII, 26; hist. III, 38; I, 33; Agr. 15. In hoc vero sequenti exemplo subiunctivo relativo inest cogitatio subiecti loquentis de eo, quod eventurum sit (cf. c. V.). Ann. XV, 62: —· ‚Neque aliud superesse post matrem fratresque interfectos, quam ut educatoris praeceptorisque necem adiiceret.‘ (Und nach der Ermordung seiner Mutter und Brüder sei nun Nichts mehr übrig, als dass er auch noch den Mord seines Lehrers und Erziehers hinzufügen werde.) Illis duobus, qui proxime allati sunt, locis definitur tantum qualitas ac natura rei praesentis, quae ad summum quendam gradum sit progressa, quem eam transgressuram esse vix cogitatur. Hoc vero loco ex saevitia, quam in dies maiorem exercuerit Nero, coniicit subiectum loquens de atrocissimo illo facinore, quod iam ausurus sit et revera postremo ausus est. Cf. allatum illud p. 47 exemplum ex ann. XV, 59 et simile hoc ex ann. V, 4: ‚— quid reliquum, nisi ut caperent ferrum et, quorum imagines pro vexillis secuti forent, duces imperatoresque deligerent‘ (Cf. quae in eodem capite antecedunt.)

Ann. XIV, 35: — ‚Eo provectas Romanorum cupidines, ut non corpora, ne senectam quidem aut virginitatem impollutam relinquant.‘ Ann. XIV, 61: ‚— non eo loci res suas agi, ut de matrimonio certet —.‘ Cf. XII, 11. Hist. IV, 57: — circumdant, obtestante Vocula, non adeo turbatam civilibus armis rem romanam, ut Treveris etiam Lingonibusque despectui sit.‘ Sed haud scio an in posteriori hoc exemplo praesens illud, quod antecedit, historicum aliquantum valuerit, ut subiunctivus absolutus adhiberetur. In similibus enim his, quae sequuntur, exemplis, subiunctivi relativi adhibiti sunt, qui optime se habent. Significatur enim iis dubitatio quaedam atque affectus animi, quo verum esse illud, quod sententiis illis secundariis exprimitur, subiectum loquens abnuit; id quod germanice reddimus verbo auxiliari ‚sollen‘. XI, 26: ‚— Quippe non eo ventum, ut senectam principis opperirentur.‘ (Denn so weit sei es doch

nicht gekommen, dass sie das Greisenalter des Fürsten abwarten sollten.) Cf. XV, 27; hist. III, 13; IV, 8: — ,Nihil evenisse, cur antiquitus instituta exolescerent, aut principis honor in cuiusquam contumeliam verteretur.' — In exemplo hoc, quod sequitur, subiunctivis relativis quodammodo actio voluntatis subiecti significari videtur: Hist. IV, 64: — ,Id Sabino convenire, ut imperium fratri reservaret; id Vespasiano, ut ceteri post Sabinum haberentur' (,Id sé suadere Sabino, ut —; id ,Vespasiano, ut —' cf. p. 15.). Etiam illae sententiae, quae forma interrogationum indirectarum in ipsis concionibus obliquis alicunde pendent, plerumque retinere videntur apud Tacitum eum subiunctivum, quem artior illa iunctio in directa quoque oratione flagitaret. (Sed discernendae ab huiusmodi sententiis sunt propriae illae ac verae interrogationes ipsius subiecti loquentis cf. c. VII.) Hist. III, 66: ,— id solum referre, novissimum spiritum per ludibrium effundant an per virtutem.' XVI, 26: ,— relinqueret incertum, quid vivo Thrasea decreturi patres fuerint.' Hist. IV, 55: — ,Si Alpes praesidiis firmentur, — dispecturas Gallias, quem virium suarum terminum velint.' Cf. ann. III, 5; II, 45. In his vero duobus, quae sequuntur exemplis subiunctivis relativis significari videtur ipsius subiecti loquentis de re incerta dubitatio (cf. c. VII): Hist. III, 20: (Antonius reprimere studet nimios militum animos, qui vel per noctem oppugnare cupiunt Cremonam oppidum): — ,An oppugnationem inchoaturos, adempto omni prospectu, — tormentisne et telis an operibus aggredienda urbs foret.' Ann. IV, 40: — ,Ideo se non illuc decurrere, posse ipsam Liviam statuere, nubendum post Drusum an in penatibus isdem tolerandum haberet.'

XIII.

Iam teneatur hoc, omnino non subiunctivum relativum putandum esse eo sensu, quo hunc tota commentatione intellexi, eum coniunctivum imperfecti, qui saepe occurrit in concionibus obliquis cum propria imperfecti temporis notione, ut significetur aliquid, quod inter rem praeteritam, de qua subiectum loquens egit, fuit praesens, ideoque propter relationem ad hanc ipsam, non propter relationem ad subiecti cogitationem praeteritam imperfectum tempus requirit. Hist. IV, 83: — ‚Ptolemaeorum regi, — cum Alexandriae — moenia templaque et religiones adderet, oblatum iuvenem, qui moneret —.‘ Ann. III, 73: — ‚Ne Spartaco quidem, — quanquam — ingentibus bellis labaret respublica, datum, ut pacto in fidem acciperetur.‘ Hist. III, 70: ‚— (se) fratrem Vespasiani mansisse in fide, donec ultro ad conditiones vocaretur‘ (‚bis er — geladen worden sei‘ dir.: ‚bis ich — geladen wurde‘). Huc referam imperfecti coniunctivos hos in ann. IV, 39 (Seianus — componit ad Caesarem codicillos): ‚Benevolentia patris Augusti et mox plurimis Tiberii iudiciis ita insuevisse, ut spes votaque sua non prius ad deos, quam ad principum aures conferret (germ. dir.: ‚dass ich — (seither immer) — brachte‘). — Attamen, quod pulcherrimum, adeptum, ut coniunctione Caesaris dignus crederetur (scil. tum, quum socer filio Claudio destinaretur cf. III. 29).

p. 30 pro ‚XIV‘ l. ‚XII‘.

TABULA RERUM.

I. Generalis de temporum consecutione quaestio p. 1—4.

II. Temporum consecutio qualis sit in concionibus obliquis historicorum romanorum. Virorum doctorum de hac re sententiae p. 4—9.

III. Statuitur lex generalis, qua Tacitus in concionibus obliquis distinxerit inter subiunctivos relativos et absolutos p. 9—12.

IV. Duae discernuntur rationes, quibus sententiis alienis obliqua oratione narratis subiectiva vis inesse possit. Prior ratio. Subiunctivi relativi in omnibus iis concionum obliquarum sententiis, quae voluntatem subiecti loquentis in directa oratione declararent non notione, sed modo verbi (coniunctivo vel imperativo) p. 12—17.

V. Relativus in concionibus obliquis subiunctivus, qui coniunctivo potentiali aut futuri indicativo respondet in directa oratione p. 17—19.

VI. Duo sententiarum conditionalium genera; subiunctivi absoluti in priore (p. 19—27), relativi in altero genere iisque sententiis, quae particulis ‚sive - sive' vel ‚seu - seu' incipiunt p. 27—30.

VII. Altera ratio, qua sententiis concionum obliquarum vis subiectiva insit. Interrogationes indirectae p. 31—33.

VIII. Sententiae, quae subiunctivis relativis ut subiective tantum verae referuntur, in quibus sunt nonnullae sententiae finales p. 33—36.

IX. Subiunctivi relativi et absoluti in sententiis causalibus p. 36—41.

X. Subiunctivi relativi in sententiis temporalibus et relativis p. 42—44.

XI. Subiunctivi absoluti in iis sententiis, quae sunt generalioris naturae iidemque in sententiis relativis et temporalibus p. 44—48.

XII. De sententiis secundariis, quae proxime pendent ex verbo aliquo ipsius concionis obliquae p. 49—51.

XIII. Quales coniunctivi imperfecti non habendi sint pro subiunctivis relativis.

CORRIGENDA.

p. 6, lin. 16: nec ne l. necne.
„ lin. 19—20: verba ‚vel—positae' sunt delenda.
p. 19, lin. 19: nec ne l. necne.
p. 22, lin. 26: etiam si l. etiamsi.
p. 28, lin. 16: comma quod positum est post ‚tanquam' transferendum es post ‚erit' in lin. antec.
p. 30, lin. 5: XIV l. XII.
p. 47, lin. 5: delendum est comma post ‚pulcherrimum'.
„ lin. 7: faman l. famam.